DE DUELLIS CONTROUERSIA, IN QUA FORENSI RITU, EX CONCILIJS...

Jean Ruault, Giorgio Enrico Levi, Gottfried Eicborn




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 A
9

Euardus de drellis


DE DVELLIS CONTROVERSIA,

IN QVA

Forensi ritu, ex Concilijs Oecumenicis, Patribus, Legibus sacris profanísque, Authoribus vtriusque linguæ, Senatusconsultis, Edictísque Principum dissitorum, proximorum, &c. de ijs inquiritur, & statuitur.

Per I. RVARDVM, Constantiensem.

Μηκέτι παῖδε φίλω πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον: Hom. Il. κ.
Ἀμφοτέρω γὰρ σφῶϊ φιλεῖ νεφεληγερέτα Ζεύς.
Quis vos exagitat furor alternis dare sanguinem? Senec. in Thyes. ch. 2.



PARISIIS,

Apud I. SONIE', è regione Scholæ Sorbonicæ.

M. DC. XV.





AMPLISSIMO ET CLARISSIMO VIRO, I. DAVY, D. DV PERRON, REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS, &c.

I. RVALDVS S. D.

AFFERO *tibi, Domine, ex Academia nostra munusculi vice Duellum contrariis Orationibus examinatum, quas nobiles Adolescentes, Auditores mei, in puluere scholastico nuper, & vmbraculis eruditis vtrinque certatim habuêrunt. Id autem à me seriùs tibi oblatum intelligas velim, quòd cùm animo recenserem ætatem hanc hominum eruditorum vberrimè feracem esse, qui, quemadmodum in* Catadupis *nemo ciuium ciues suos miratur esse surdastros; ita & illi, cùm sint* Cic. in Somn. Scip.

omnibus suis numeris absoluti, nihil non carpunt, nihil atramento, quod aiunt, sutorio non contaminant, nisi quæ genere dicendi cùm solido & exsiccato, tùm sententiis arguto, splendoréque & concinnitudine attica illuminato sibi literis consignata videntur; obfirmaueram animo publicis præli non committere typis ea, quæ incredibili spectatorum concursu, frequentiáque tantâ, quantam vix in Academia meminisse non videor, authori suo applausum & ἐπισημασίας (quod præfiscinè dixerim) peperisse recordabar. Ego siquidem ille sum (cur enim negem?) qui faciliùs acclamationes repudiare, quàm sibilos & irrisiones sustinere queã: & fortunam prosperam sæpius sine caussa experiri velle, ambitiosi semper esse duxi, non sapientis. Verùm quid agerem? optanti mihi iam latere, & plebeculæ auris mutabilibus vela rursùm committere formidãti, ex Academicis nonnulli, ÿque amicissimi, & Discipuli mei pleriq; omnes obstitêrunt: Sed ÿ præsertim, qui cum suauissimo Nepote tuo (quem eâ ingenÿ & morum felicitate, quâ multis præcellit, erudiendum mihi à te commissum immortaliter gaudeo) in tam præclaro Duellorum argumento non minùs ex-

celsæ naturæ, & iam de Repub. cogitantis, quàm non hebetis pro illa ætate ingenij probationes certißimas exhibuerant. Itaque cùm ipsi nullum postulandi, vel potiùs exigendi finem faceret, quò Quæstionem publicâ omninò luce dignißimam (ita blandiri nouerant) & in Gallia huic ætati pernecessariam; & quanquam à Viris clarißimis, atque maiorum subselliorum non ita pridem agitatam; per me tamen primùm in Academiæ suggestu auditam, & oratoriæ dicendi methodo cùm græcè, tùm latinè accommodatam, iam in vulgus emanare permitterem, & in conspectum produci literatorum. His & similibus blandimentis, quasi Ceruus tibijs pastorum modulatè concinentibus allectus, eò tandem me adduci passus sum (ne longior in negando peruicacia timiditati potiùs, quàm modestiæ ascriberetur) vt quæ flagitarent, me diuulgaturum sim pollicitus cis paucos dies, quibus diebus egere me videbam, quò palantes atque dispersas, vt boni duces consueuêrunt, temereq; per Musæum errantes Orationes in vnum tandem corpus colligerem, partim accuratiùs exscribendas, vitãdæ indignationis typographorum caussâ, partim clausulis & interpunctionibus,

Pier. Valeri. Hieroglyph. l. 7. c. 1.

vt fieri amat, distinguendas: omnes autem certis locorum (quod esse facile temerè credunt nisi experti) atque scriptorum notis illustrandas, è quibus ego plurima, vt ἀχαριστίας crimen subire non audeam,

----- apis matinæ
more, modôque
Horat. carm. 4. od. 2. Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, vuidíque
Tiburis ripas,

me delibare meminissem. Ecce igitur, his à me cursim, & quasi medio lectionum æstu quoquomodo peractis, non sanè vt in Hermathæna collocarentur (laureolam ego in isto non quæram mustaceo) sed vt fidem meam vltrò liberarem, nullâ præstitutâ die, sicut bona nomina consueuêrunt, occasionem arripio libenter nuncupandi tibi, Vir clarissime, hos ingenij mei fœtus, cùm vt testatum relinquam officiosissimum quendam Varr. l. de ling. lat. *cultum erga te meum: tùm vt ij ad Aristophanis lucernam veriùs, quàm ad Cleanthis* Hor. ad Pisones. *elucubrati, id est, vt cum Poëta loquar, neque multa die, neque multâ liturâ coërciti, neq; præsectum decies castigati ad vnguem, tui potissimùm nominis inscriptione notati, liberiùs ac tutiùs perueniant in doctorum*

manus. Si enim filius Mythris Thebarum regis in obelisci fastigio collocatus operas cautiores efficere, illamque molis stupendæ machinationem ab imminenti lapsu potuit vindicare; Næ languidus ego, & stupidæ meritò videar timiditatis, si ab inuidis huius ætatis conuiciatoribus, & quicquid sua ex officina non prodierit, illud ab omnibus, tanquam incultum & horribile, consputandum per summam impudentiam asseuerantibus, vllum metuam incommodum Tyrocinio huic meo, cuius verticem (ac non extimesco, ne assentatiunculâ quadam aucupari gratiam tuam videar) Davyi Perronii *augusto sanctóque Franciæ & Religioni nomine, & factionum Hæreticarum magistellis terribili, ac formidoloso insignitum poterunt intueri. Vlyßi Troianorum hastilibus vndique appetito tutius dare propugnaculum Aiace Telamonio* σακεσφόρῳ καὶ ὠμοκρατεῖ, *non potuit Vates grauis & ingeniosus: Ego libellum hunc, quem suis se viribus sustinere nequeũtem contumeliosis, vt nunc fit, obtrectatorum maledictis vndique implicatum iam videre mihi videor, firmiore adminiculo fulcire non potui, nec debui, quàm tuæ clientelæ vmbrâ, & nomi-*

Plin. maior l. 38. c. 8. & 9.

Q. Calaber Derelictorum l. 5. v. 203. &c.

nis sanctitate. Huc accesit altissima ista eruditio, quam præclarissimis monimentis plus plúsque in dies testari pergis; & magnum singularéque iudicium, quo res Gallicanas Regi (cui, quod verè sit populi securitas & refugium, Ludouici nomen diuinitùs impositum audio) ab interioribus Consiliis θεῖος βυλαῖος *feliciter prorsus expendis. Cum enim eos a te publicis etsi, grauissimisq; negotiis immane quantum occupato,* & ciuilibus vndis immerso, *libros consecuta sit christiana Respub., quos, vt auguror, (nec fallit augurium)* Οὔτε χειμέριος ὄμβρος, οὔτ' ἄνεμος ἐς μυχοὺς ἁλὸς ἄξει παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενος; *Sed potiùs excipient omnes anni sequentes, & quod de fama dixit Poëta summus, ij ipsi progrediendo vires adipiscentur; Vereri equidem non potui, ne has paucarum vigiliarum lucubrationes meas, quales quales illæ sint, humanitùs non exciperes; néve illis benignè patrocinarêris, qui vsu & experientiâ edoctus probè intelligis, suauiter cum illis agendum, quos publico (absit verbo inuidia) munere aliquo præpeditos multa, succisiuis tantùm horis scribendo, prætermisisse, non omnia examussim, &* λίθου Ηρακλείας, *vt est in vetere Græcorum verbo,* ἀεὶ περιέρχοντας *suo quæq;*


Nam *Luit*, seu *Luide* sonat idem ac populus: & *Voic* portus seu refugiū. *Luit Voic* igitur (vnde *Ludouicus*) est populi refugium.

Becan. l. 3. Franc. p. 69.

Pind. Pyth. εἰδ. ἕκτω αἰπς. α.

4. Aen.

Theophr. l. de Nat. lap.



I. RVALDVS DISCIPVLIS MEIS S. DICO, ET PAVCA PRÆMONEO.

ECce quæ ego serò, quæ cursim, quæ furtiuis, vt aiunt, & succisiuis operis de Monomachia seu Duello manu veloce signaueram, ea tandem aliquando publicis præli commissa literis, atque in omnium lucem oratu vestro & hortatu abeuntia contuemini, boni Adolescentes. Superest modò, vt nec vos petitionis atque consilij, nec me pœniteat obsequij & indulgentiæ. Ita enim fiet, vt ex variis Poëmatis, Orationibus, & Tragœdiis, quę annis superioribus frequentissimo theatro (quod sine ambitione dixerim) plausus meruerunt, selectissima quæque, hodiè apud me, ceu *rapidis ludibria ventis* adhuc iacentia, *Aeneid. 6.* requiram; & quæ addidero, seu potiùs perfecero, vobis ea postulantibus non denegem. Cùm enim ego ante hunc diem, etiam vestra obtestatione adduci nunquam potuerim, vt ea tantummodò Carmina, queis immanem Duellatorum stultitiam, efferata in-

quæque loco posuisse constabit. Mitto quod in terris φυᾷ δ' ἕκαστος διαφέρομεν βιοτὰν λαχόντες ὁ μὲν τὰ, τὰ δ' ἄλλοι· τυχεῖν δ' ἕν' ἀδύνατον εὐδαιμονίαν ἅπασαν ἀνελόμενον. Pindar. Nem. ᾠδ' ζ' ἀν- τισ. χορ. 16.

Ac ne illud deniq; sum veritus, ne hoc munusculi, quantulum id cunque est, tibi inscribendo tuæ amplitudinis rationem parum habuisse existimer. Audio enim aquam (eâ quid vilius?) Artaxerxi à Simethe oblatam, eidémque ab altero malum punicum; & Constantio Imperat. crustum paniceum ab anicula exhibitum, ob animos offerentium multùm arrisisse. Priscorum monimentis traditum scio, cum Bœoti verâ victima Herculi ob nimiam Asopi fluuij eluuionem honores habere nequirent; eos Pomo quatuor stipulis vice pedum innitente, alijsq; duabus cornuum instar appositis, tam facilè Deo Pomario (ita enim Herculem appellarunt) litasse, quàm qui πολυκνίσους Εκατόμβας, centum corpora boum mactauissent. Hinc animaduerto, vt Panegyristæ verbis ad Traianum Imperat. vtar, Deum non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ & sanctitate lætari: gratiorémq; existimari, qui eius delubris puram castamque mentem; quàm qui meditatum carmen intu-

Plutarch. in Reg. Apopht.

Amm. Marcel. l. 25. cap. 30.

Pier. Val. Hierog. l. 54. c. 11. Eadé Pollux l. 1. de vocab. ferum.

Plin. nepos in Panegyr. Trai. Aug. dicto, quod fortè mutuatus est ab auunculo lib. nat. hist. 12. c. 18.

lerit. Tu igitur, Vir aliis clarißime, mihi etiam humanißime, & virtutum regiarum, imò & ipsius Diuinitatis, quantum fieri potest, æmulator religiosißime, si hanc propensioris obseruantiæ tabulam, si hoc clientis summè in te officiosi anathema, nisi doni merito, aut rei nouitate, saltem donantis affectu & deuotione acceptißimum, quod spero, habueris; maximum Principum maximorum, &, quod palmarium esse ducis, supremæ Maiestatis ornamentum videberis assecutus. Vale Vir clarissime, *& me tibi addictum, deditum, etiam obstrictum amare perge.*

Lutetiæ Parisiorum, ex Academia.
xi. Cal April. A. cIↄ. Iↄcxv.

ἐπὶ πᾶς ἀνθρώποις δίδοιμοσθ, nullúsque tam suauis sonus, neque tam iucundus color, qui perpetuò placere queat, & in quem semper intenta ingenij nostri acies tandem non obtundatur: ideò videri prudenter agere, qui satietati varietate occurrũt; qui alieno idiomate interdum, & versiculis, ceu Parrhasij aut Apellis tabulis, fessos Auditorum animos suis in aduocationibus recreant, ac reficiunt, Medicos hac in re imitati, qui ortum ex cibi eiusdem assiduitate nimia languentis stomachi fastidium leuant apposita eduliorum disparitate. Alioqui, dicetis, nos ille conditione durissima esse præcipit, si agricolis permittit, vt non vineas tantùm, verùm etiam arbusta; nec arbusta tantùm, verùm etiam segetes suo in fundo curent & exerceãt: vtque in ipsis campis non far aut siliginem solam; sed ordeum, fabas, cæteráque legumina ferant: nos vetat in actione plura semina spargere, omnia pertentare, omnia experiri, πάντα denique λίθον κινεῖν, vt id quod suademus, tandem consequamur. In summa vos inutile certamen hanc ob rem aduersus pertinaces suscipere nolim: *Cic. 2. de Orat.* *Erasm. ch. 1. cent. 4. ad. 30.*

Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius. *Plaut. in Amph.*

Si qui tamen se doceri patiantur, ostendetis quamplurimos magnam sui admirationem in pronuntiando olim reliquisse, qui idem ac nos fecerunt. Mitto vos monere, quod suus cuique gustus: quod in causis agendis, vt & *Passer. in Orat. & Præf. imò & Cic. pro Sextio, pro M. Cælio, &c.*

in sympoſiis & concœnationibus

Tres tibi conuiuæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario nimiùm diuerſa palato.

Hor. l. epiſt. 2. ep. 2.

Alterum eſt, quod, vt præſentio, maledici Obtrectatores hoc in opuſculo acerbè ſuccenturiabunt, ſufflaminabunt. Poſtulabunt me furti, & quidem manifeſti: dicẽt me plagiarium, & furandi licentiâ me Tauroſcytharum inſtar victum mihi quærere exprobrabunt. Quo quidem maleficio vel è duodecim tabulis, aut Lyciorum inſtituto tradendus ſum in ſeruitutem ijs, è quorum fundo vindemiam feciſſe deprehendar. Vel ſi benigniùs mecum ex Solonis effato agatur, ſublato grauiore ſupplicio dupli ſaltem pœna mihi indicetur.

Alex. ab Alex. l. 6. c. 10. ex Her. A. Gell. l. 11. c. 18. Stobæ. ſerm. 42.

Enimuero, Adoleſcentes, ſcio me in Gallia degere, non Lacedæmone, vbi furta impunita eſſe voluerunt. Veterum Germanorum & Ægyptiorum leges haud imploro, apud quos latrocinia Iuuentutis exercendæ, ac deſidiæ minuẽdæ cauſsâ fieri conſueuiſſe literis teſtatum habemus. Inſurgam tamen audacter, vltróq; ibo in neruum, confitentem reum accuſatori daturus, vt qui me totum iam addixerim iis omnibus, quos ſuis laboribus & literarum monimentis de ipſa poſteritate optimè meritos credidero. Cum Lucretio dicam,

Xen. pæd. Cyri l. 4. Cæſar l. 6. Comm. Diod. Sic. l. 2. c. 3.

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,

Lucret. l. 4. in princ.

ita ego de Monomachia ſcriptis aliquid mandaturus, profiteor me in nullum ſeu veteris,

tur, illúdque Pindari, de me iure optimo queat vsurpari, Κενεᾶν δ' ἐλπίδων χαῦνον τέλος. Solùm ego vtique arbitratus esse *quadam prodire tenus, si non datur vltra*, vnus ex illis esse perhorresco,

Qui quod desperent inuicti membra Gliconis,
Nodosâ corpus nolint prohibere chiragrâ.

Itaque, studiose Auditor, si quid offenderis rectius his meditationibus meis, vnde planiore stylo, & Ciceroniano magis, quæ de Monomachia scitu digna sunt, expromere possis, me abiice, illuc abi, non inuidebo: sin minùs, (humaniter loquor) *his vtere mecum*, quæ tui potissimùm caussâ edi curauimus, non eorum, qui διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν, πάντων ἁμαρτημάτων αἴτιον, ἑαυτοὺς ἐλλογιμωτάτους & παντεπιστήμονας esse rati, nihil, nisi, vt ait Comicus, quæ ipsi faciunt, rectum esse putant. Quod si tam iniquos sui & alieni laboris æstimatores in his commentationibus virgulâ, vt dicitur, censoriâ notandis audiam occupatos; Faciam quod Vlysses apud Homerum, ad quem cum magnus desubitò canum quamplurimorum factus esset concursus,

Ἕζετο κερδοσύνῃ, σκῆπτρον δὲ οἱ ἔκπεσε χειρός,

astitit represso gradu, baccillóq; humi posito acquieuit. Qua solerti prudẽtiâ dẽtes immanium belluarum, vt priscis vtar verbis, reciprociserratos, lanicutes, vestitrahos euasit, quibus miserè discerptus fuisset, si restitisset. Seu potius Lunam Cœli decus imitabor, quę nocturnos canum latratus nihil morata, in-

Pindar. Nem. 2.

Horat. epist. 1.l.1.

Ib. epist. 6.

Plato 5. de legib.

Odyss. ξ. v. 31. ad quem locũ Eustat, Giphanius, & Didymus Naturale præsidiũ esse dicunt ad auertendos canum morsus, sedere, & baculum dimittere.

teris, seu recentis memoriæ incidisse Authorem, ex quo meas Orationes non aucupatus sim, omnésque vndequaque flosculos conquisierim, ac delibarim. Tamen furti me reum esse nunquam non inficiabor, cùm domino reclamante rem alienam nec eripuerim, nec surripuerim. Addo nihil prohibere vnius laudem, illi non ereptam ad plurimos peruenire: cum animi bona non decrescant sparsa, nec pereāt. Quid quod semel ac euulgati sunt libri, quicquid inest, publicum est, non priuati possessoris, & vtitur quisque pro suo. Neque verò, meâ sententiâ, Musæus poëta maximus ab Homero; neq; hic, & Ennius à Marone, si reuiuiscāt: nec à Silio, Nemesiano, & Sannazario Virgilius, res suas & verba repetent, & manus iniectione vindicabunt: sed potiùs gratiam habebunt immortaliter, quod se potissimùm nati minores delegerint quos imitarētur. Quid autem, inquietis, respondebimus iis patruis & magistris morum ac verborum grauissimis, qui cùm, vt gloriantur, toto vitæ tempore scrutati sint nummos adesis iam, & fugientibus notis, lamellas, sigilla, truncas statuas effoderint, manium sanctitatem violarint, erosas à tineis & blattis membranas euoluerint, vnde verba quædā nostro seculo inaudita proferrent; tu in hoc dicendi genere toto, nullam nisi tritam & vulgatam dictionem vsurpaueris? Nihil amabo vos, nisi me vobis grauiter peccasse videri; dummodò eadem operâ se

Petrarcha Dial. 101.

Scalig. Poët. l. 5. c. 2.

viâ publica prohiberi, foro interdici, communi victu cultúque corporis arceri, aquâ, igni, cœlo deniq; hoc, ac ſpiritu, quem omnes ducunt, mulctari oportere confiteantur. Videtis quàm imbecillæ ſint hæ maledictiones, & quàm non requirant patronum eloquentem. Sed vbi has pro me cauſſas dixeritis, & pluribus aut ſaltem paribus (id enim in Francia mihi ſatis eſſe duco, vbi, ſicut Romæ quondã & Athenis, ſuffragiis æqualibus, damnationi præferri abſolutionem accipio) iudicum eruditorum ſententiis liberatum me dimiſeritis, cauendum vobis eſſe ſuſpicor, & præmoneo, ne ab iniquis ad alios Quæſitores, aliáq; ſubſellia reuocemini. Neſcit, aiunt, qui has Orationes exarauit, neſcit Therſitem Homericum non modò ſibilis, ſed etiam conuicio explodi ſolitum, quod ἀμετροεπὴς eſſet, quod in dicendo copiam, non modum quæreret: quod cuiuſuis Orationis exitum, quàm principium inuenire difficilius haberet. quod in eo denique futilis & moleſta redũdaret loquacitas. Imo, excipietis, ſcit quidem; & ſi electio daretur, mallet cum Sapientibus indiſertam prudentiam, quàm ſtultitiam loquacem. Illo Iudice Ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ. κόρον δ' ἔχει, καὶ μέλι, καὶ τὰ τέρπν' ἄνθε' Ἀφροδίσια. Sed illam apud Homerum, cuius authoritatẽ veſtræ calumniæ obtenditis, & ille non repudiat Orationem, ſimilem niuibus hybernis,

L. inter pares ff. de re iudic.

Ariſtot. lib. Probl. 30. c. 13. & 15. vbi eius conſuet. rationẽ aſſert.

Hom. Il. β.

Cic. 2. de Orat.

Pind. Nem. ς' εἰδ' ς' ἀντις. κωλ. 16.

Ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν, Iliad. γ.

id eſt, crebram, aſſiduam, largam, cœleſtem, ac neruoſam. Cenſet enim eloqui copioſè, modò prudenter, melius eſſe, quàm vel acutiſſimè ſine eloquentia cogitare. At eſt gratior multis actio breuis. Eſt quidem, ſed inertibus, quorum delicias deſidiámque, quaſi iudicium reſpicere ridiculum eſt. Nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatius eſt breuiter dicere, ſed omninò non dicere. Nec placent qui, vt lautiores nitidioréſque appareant, ſaginam cædunt, & ſine vero ſucco, colore, & ſanguine, vt veternoſi, magis magíſque intumeſcũt: nec probantur, qui dum exilitatem in ſcribendo & tenuitatem conſectantur, inanes aridíque fiunt, eàſque malè paſtas, ieiunas, & velut abortiuas emittunt ſcriptiones, de quibus quaſi Attica febri, vt eſt in Maronis Epigrammate, laborantibus, vſurpari poteſt, quod de ſe fatetur Plautinus Ergaſilus:

Plin. in epiſt. 10. l. 1.

Oſſa atque pellis miſera macritudine.

Plaut. in Captiuis.

Tamẽ Rhetores bene multi Breuitatem inter virtutes Orationis recẽſent. Quis negat? Sed Ariſtoteles (& quantus vir?) vt bene dicatur, id non vult eſſe poſitũ in celeritate aut breuitate, ſed in mediocritate, certóq; Orationis modo. Οὐδὲ γὰρ, inquit, ἐνταῦθα δεῖ τὸ εὖ, ἢ τὸ ταχὺ, ἢ συντόμως, ἀλλὰ τὸ μετρίως. Igitur, vt qui excellit materiam, nomine τῆς εἰκαιοσύνης malè audit: atq;, vt cum Athenæo loquar, ὑπὸ λογοδιαρροίας ἐνοχλούμενος habetur: ita ille, qui ieiunè

Ariſtot. 3. l. Rhet. c. 17.

Ath. l. 4. ex Iuni. Cent. 4. n. 28.

[illegible]
[illegible] simulet, ob-
[illegible] plus grauis labi-
[illegible], ac ino-
[illegible] tamen melius,
[illegible], aut
[illegible], aut rerum
[illegible] eo impu-
[illegible] bus
[illegible] tionem
[illegible] por-
[illegible] fi-
[illegible] singulæ
[illegible], qui
[illegible] fuit,
[illegible] vnam
[illegible] summi con-
[illegible] al-
[illegible] re-
[illegible] meretur.
[illegible] cen-
[illegible] esset
[illegible]
[illegible] elo-
[illegible] ha-
[illegible] prin-
[illegible] effe-
[illegible] Rhe-
[illegible] quo ne
[illegible] fuerunt;
[illegible] li-
[illegible]
[illegible] me-

cum admiremini, quorum omnium longissimæ quæque conciones doctioribus maximè placuerunt. Alij Scauri, Gracchorum, & Catonis abscissum dicendi modum ostentent: Vos Cæsarem, Pollionem, Ciceronem imprimis magnifacite, qui omnes latè magnificè, copiosè, loquendo sua in Rep. tonarunt, fulgurarunt, omnia perturbarũt, ac miscuêrunt, quod de Pericle priùs dictum accepimus. Quod si rerum exiguarum Prædicatores Plinianum istud, *Nusquam magis, quàm in minimis totam esse Naturam*, quasi hastã amentatam in nos contorqueant, ament illi (nec inuidete, obsecro) bombyces, Scarabeos, muscos, culices, araneas, cicadas: & cum Solensi Aristomacho annos duodesaxinta in apibus contemplandis auidissimè consumãt. Præclarum Cæsaris Caligulæ in expeditione Britannica facinus imitentur, littorales quisquilias, vt loquitur Apuleius, & nugas marinas, conchas & vmbilicos, ceteráque minuta Oceani iactamenta, dignas viris magnis exuuias dictitent: Belonem siue acum, remoram, Scincum, Anthiam, & Squillam paruam in mari: passerculos, regaliolos in aëre: in terris, vel quæ ob exilitatem insecta nuncupantur: & ex plantis viburna, corylos, herbulas tenuitate sua obtutum effugientes laudent, admirentur: Vos, mihi credite, etiam habebitis quod in cedris, platanis, cupressis efferatis: quod in camelis, rhinocerote, elephantis suspiciatis: quod in aquilis,

Hist. natur. l. ij. c. 2.

Tranquill. l. 4. c. 45.

Apologia 1. pro se.

De his v. Plin. diuersis in locis.

gruibus, ſtruthiocamelis commẽdetis: quod in priſtibus& balenis ex Indico mari; in phyſetere ingentis columnæ modo ſe attollente ex Oceano Gallico; in arbore, Gaditano pelago; & rota, hoc à radiis, illo à patulis ramis nomen adepto celebretis. Myrmecidem ob quadrigam & agitatorem ſub apiculæ pennis apricantes; & Callicratem ob formicas eburneas ſuſtulit in cœlum antiquitas: Sed ijdem à cœlo delapſi ſunt, vbi Phidias ſuam Athenis Mineruam expoſuit; & Staſicrates ex Atho monte Xerxis formauit effigiem, quæ dextrâ retineret vrbem cum decem incolarum millibus, & amnem ſiniſtrâ funderet in proximum mare decurrentem. Ita igitur rem ſe habere videtis, Adoleſc., quod vt ſtatuas, ſigna, picturas, hominum denique, multorúmque animalium formas, arborum etiã, ſi modo ſint decoræ, nihil magis, quàm amplitudo commendat; ſic & ſcriptionibus ipſis, quæ Reipub. bonum ſpectant, authoritatem quandam, & pulchritudinem adiicit magnitudo. Hyems quidem, vel morbus, licet breuis, longior tamen apparet. Ver autem (confeſſa loquor) vel bonam valetudinem nimis longam nemo dixerit, cui ſanum fuerit ſinciput. Sed ne modum, quem etiam cuiuis volumini adhibendum ſcio, & confiteor, in epiſtola excedam, finem hic facere mihi eſt animus, ſi priùs monuero vos, hæc à me allata, tantummodò, vt malignum petulantium linguarũ virus appoſitis alexiphar-

Id. l. 9. c. 4.

Aelian. de Var. hiſt. l. 1.

Cic. de clar. Orat.

Plutarch. in Alexand.

Plin. ſecund. epiſt. l. 1.

macis compeſcerem, non vt me, ſicuti iam dixi, nihil quicquam his in contractiorum vigiliarum lucubrationibus deliquiſſe, aut prætermiſiſſe docerem. Homo cùm ſim, me

Ἐς πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι Hom. Il. 6.

nunquam non diffitebor: vt vero verius Xenophon ſcripſiſſe videatur, *Οὐ πάνυ ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις (ἐπιτιμήσεως) αἴτιον ἔχοις. χαλεπὸν γὰρ οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν: χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσοντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν.* Xenophon. 2. comm. Si autem, optimi Adoleſc., in canina Obtrectatorum facundia eleuanda longior eſſe viſus fuero, ignoſcite: eò me prouexit, non illorum odium, ſed dulcedo quædam vobiſcum loquendi, & mutuæ familiaritatis amor,

Quod ſi crimen erit, crimen Amoris erit. Propert. l. 2. eleg. 30.

Valete, & me amantiſſimum veſtri mutuò amate, legite, ſuperate.



IN ORNATISSIMI VIRI, Præceptoris colendissimi de Duello opus.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI S. R. E. Purpurato D. D. du PERRON, Archiepiscopo Senonensi, Galliarum & Germaniæ Primati, Franciæ Eleemosynario.

EPIGRAMMA.

PVrpureæ pars magna, mihiq; colenda cohortis,
Quem famæ in gentes mobilis ala vehit:
Sume hilaris, docta quod dedicat arte RVALDVS,
Erutáque è veteri cerne DVELLA *situ.*
Regius Henrico sternatur indice campus,
Doctáque Liligerum spectet arena ducem,
Quo præsente, acer Perronius induat arma;
Nec sit fallaci Plessius ore ferox:
Sed citò succumbat, victus quoq; porrigat herbam,
Cedat & ingenio nomina digna tuo.
Ergo DVELLA *cliens tibi dum offert ista* RVALDVS,
Te tibi dat, maius munus habere cupis?

Iacobus de Groucy.

Ο αὐτὸς τῷ αὐτῷ λαμπροτάτῳ Καρδινάλει Περρωνίῳ, περὶ τῆς Μονομαχίας

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἐχθρὸς ἐμὴν ῥα κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
 Ὅστε λυγρῶς λύπει τὸν θεὸν ὀρθόδικον.
Κεῖνος ἀνὴρ πέλεται δὴ οὐδὲν ἐών, γε καὶ ἄφρων,
 Ὅστις ἐπισκώπτει τὴν θέμιν ἠΰγενῆ.
Πᾶσι βροτοῖσι κατάψυσον τοῖς ἐστιν ὄνειδος,
 Ὅστε καλοῦ μωμᾷ θεῖον ἄνακτος ἔπος.
Οὐλομένων ἀπεῖος γ' ὑψηλὸν ἀτασθαλιάων,
 Ὅστε νόμων παρορᾷ, δυσμενὲς ἦτορ ἔχων.
Ὅστις φυλείταις ἔελδα περιφέρηται ἀέλθων,
 Τούτων ὁ πλείοις ποιεῖ ἀτασθαλίας.
Ἀλλ' ὅσσω γε τὸ πᾶν μείρων ὑπερέχεθ' ἑκάστων,
 Γήματά τ' ἄλλα δυοῖν ὅσσα ἔχει πόλεμος.

Iacobus de Groucy.

C

De necessario de DVELLIS opere CL. V. D. Ioannis Rualdi, Professoris literatiss. Collegæ amantiss.

AVsonij & Graij multorum prælia libris
Scriptores, claris & cecinere modis,
Quisque suos laudans ciues: diuersa RVALDVS
Argumenta stylo fertiliore capit.
Nam ritus damnat patrios, & dira DVELLA
Deuouet, ingenio & nobile condit opus.
Excutit antiquos mores, & iura retractat,
Quid fas? quid princeps legibus esse vetet?
Intentatum opus est, hinc surgat adorea maior,
Et grates vetera, & sæcula nostra ferant.

Thomas Dempsterus I C. Augusti Britanniar. Regis historicus.



AD LECTOREM.

ANimaduerte, Lector, argumentum huic S. C. subministrari ex Monomachia, seu Duello, cuius conuicti Bellatores quidam, finguntur hoc in iudicio de fama, de capite, de fortunis omnibus laborare: sicut Orationis, quæ in Duella mox habebitur, narratione planum fiet & apertum.

Memineris & hoc. Educi à nobis dictionem hanc ex domestica exercitatione & vmbratili, in qua concinnam magis, variã, lasciuam, & abundantem Orationis vbertatem, quàm argutam & concisam breuiloquentiam consectamur. Volunt enim optimi dicendi Magistri esse in Adolescẽtibus (quorum caussa hæc præsertim elucubrata sunt) vnde aliquid possit amputari. Cæteroqui vbi ex vmbraculis scholasticis mediũ in agmen, in puluerem, in aciem forensem procedendum est; scio & fateor non tam ludicra & ioculari pugna, quàm verâ & seriâ dimicandum: non tam vehemẽti & incitata oratione ceu gladio, quam subtili, presso, & a- Cic. 2. de Orat.

viâ publica prohiberi, foro interdici, communi victu cultúque corporis arceri, aquâ, igni, cœlo deniq; hoc, ac ſpiritu, quem omnes ducunt, mulctari oportere confiteantur. Videtis quàm imbecillæ ſint hæ maledictiones, & quàm non requirant patronum eloquentem. Sed vbi has pro me cauſſas dixeritis, & pluribus aut ſaltem paribus (id enim in Francia mihi ſatis eſſe duco, vbi, ſicut Romæ quondã & Athenis, ſuffragiis æqualibus, damnationi præferri abſolutionem accipio) iudicum eruditorum ſententiis liberatum me dimiſeritis, cauendum vobis eſſe ſuſpicor, & præmoneo, ne ab iniquis ad alios Quæſitores, aliáq; ſubſellia reuocemini. Neſcit, aiunt, qui has Orationes exarauit, neſcit Therſitem Homericum non modò ſibilis, ſed etiam conuicio explodi ſolitum, quod ἀμετροεπὴς eſſet, quod in dicendo copiam, non modum quæreret: quod cuiuſuis Orationis exitum, quàm principium inuenire difficilius haberet: quod in eo denique futilis & moleſta redũdaret loquacitas. Imo, excipietis, ſcit quidem, & ſi electio daretur, mallet cum Sapientibus indiſertam prudentiam, quàm ſtultitiam loquacem. Illo Iudice Ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ. κόρον δ᾽ ἔχει, καὶ μέλι, καὶ τὰ τέρπν᾽ ἄνθε᾽ Ἀφροδίσια. Sed illam apud Homerum, cuius authoritaté veſtræ calumniæ obtenditis, & ille non repudiat Orationem, ſimilem niuibus hybernis,

L. inter pares ff. de re iudic.

Ariſtot. lib. Probl. 30. c. 13. & 15. vbi eius conſuet. rationẽ affert.

Hom. Il. β.

Cic. 2. de Orat.

Pind. Nem. ς' ειδ' ς' ἀντισ. χορ. 16.

Ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν, *Iliad. γ.*
id eſt, crebram, aſſiduam, largam, cœleſtem, ac neruoſam. Cenſet enim eloqui copioſè, modò prudenter, melius eſſe, quàm vel acutiſſimè ſine eloquentia cogitare. At eſt gratior multis actio breuis. Eſt quidem, ſed inertibus, quorum delicias deſidiámque, quaſi iudicium reſpicere ridiculum eſt. Nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatius eſt breuiter dicere, ſed omninò non dicere. Nec placent qui, vt lautiores nitidioréſque appareant, ſaginam cædunt, & ſine vero ſucco, colore, & ſanguine, vt veternoſi, magis magíſque intumeſcũt: nec probantur, qui dum exilitatem in ſcribendo & tenuitatem conſectantur, inanes aridíque fiunt, eàſque malè paſtas, ieiunas, & velut abortiuas emittunt ſcriptiones, de quibus quaſi Attica febri, vt eſt in Maronis Epigrammate, laborantibus, vſurpari poteſt, quod de ſe fatetur Plautinus Ergaſilus: *Plin. in epiſt. 10. l. 1.*

Oſſa atque pellis miſera macritudine. *Plaut. in Captiuis.*

Tamẽ Rhetores bene multi Breuitatem inter virtutes Orationis recẽſent. Quis negat? Sed Ariſtoteles (& quantus vir?) vt bene dicatur, id non vult eſſe poſitũ in celeritate aut breuitate, ſed in mediocritate, certóq; Orationis modo. Οὐδὲ γὰρ, inquit, ἐνταῦθα ἐστὶ τὸ εὖ, ἢ τὸ ταχὺ, ἢ συντόμως, ἀλλὰ τὸ μετρίως. Igitur, vt qui exceſſit materiam, nomine τῆς εἰκαιολογίας malè audit: atq;, vt cum Athenæo loquar, ὑπὸ λογοδιαῤῥοίας ἐνοχλούμενος habetur: ita ille, qui ieiunè *Ariſtot. 3. l. Rhet. c. 17.* *Ath. l. 4. ex Iuni. Cent. 4. n. 28.*

&adſtrictè loquendo eam non adimplet, obſcuritatis vitio laborabit. Quis grauiùs labitur? æquè vterque. Sed ille viribus, hic inopiâ & infirmitate peccat. Dij tamen meliùs, quàm, vt meâ cauſsâ, Lenæo Grãmatico, aut Aſinio Gallo probra in Salluſtium, *qui rerum Roman. author habetur florentiſsimus*, ob amputatam & conciſam Hiſtoriam coniicientibus vnquam aſtipulemini: Dum qui vobiſcum de meo dicendi genere concertabunt, portenti & furiæ, non Principis; caudicis & ſtipitis non Imperatoris, Caij Cæſaris Caligulæ authoritatem odio mei non ſequantur, qui tam vecors, tam luteus, ac effrons olim fuit, vt T. Liuium, nefas! abolere voluerit, vnam hanc cauſſam impudẽtiſſimâ calumniâ confingẽs, quod in Hiſtoria verboſus; &, quod alter neſcio quis de Ariſtotele per ſummam temeritatẽ effutire auſus eſt, κενόφρων videretur. Ennius, Homerus alter ſomno factus, quendam Seruilij familiarem prædicet, quod eſſet

Verborum vir paucorum;

Vos interim cum P. Marone Drancis eloquentiæ plurimùm deferetis, qui *conſiliis habitus non futilis autor*, largâ fandi copiâ principibus Latinis multum excelluit. Alij efferant breues & circumciſas Lyſiæ Græci Rhetoris Orationes; vos Demoſthenem, quo ne Athenæ quidem ipſæ magis Atticæ fuerunt; Hyperidem, Æſchinem, etiam Periclẽ, (ſcilicet ἀστράπτοντα καὶ βροντῶντα, quod facultate ſummâ, non ieiuna breuitate contingit) me-

Corn. Tac. Ann. l. 3. *Sueton. in Cal. c. 34.* *Theo. Chius apud Diog. Laërt.* *Sabell. l. 2. exempl. c. 7.* *xi. Æneid.* *Cic. 1. de Orat.* *Comici Græci apud Plut.*

cum admiremini, quorum omnium longiſſimæ quæque conciones doctioribus maximè placuerunt. Alij Scauri, Gracchorum, & Catonis abſciſſum dicendi modum oſtentent: Vos Cæſarem, Pollionem, Ciceronem imprimis magnifacite, qui omnes latè magnificè, copioſè, loquendo ſua in Rep. tonarunt, fulgurarunt, omnia perturbarũt, ac miſcuêrunt, quod de Pericle priùs dictum accepimus. Quod ſi rerum exiguarum Prædicatores Plinianum iſtud, *Nuſquam magis, quàm in minimis totam eſſe Naturam*, quaſi haſtã amentatam in nos contorqueant, ament illi (nec inuidete, obſecro) bombyces, Scarabeos, muſcos, culices, araneas, cicadas: & cum Solenſi Ariſtomacho annos duodeſaxinta in apibus contemplandis auidiſſimè conſumãt. Præclarum Cæſaris Caligulæ in expeditione Britannica facinus imitentur, littorales quiſquilias, vt loquitur Apuleius, & nugas marinas, conchas & vmbilicos, ceteráque minuta Oceani iactamenta, dignas viris magnis exuuias dictitent: Belonem ſiue acum, remoram, Scincum, Anthiam, & Squillam paruam in mari: paſſerculos, regaliolos in aëre: in terris, vel quæ ob exilitatem inſecta nuncupantur: & ex plantis viburna, corylos, herbulas tenuitate ſua obtutum effugientes laudent, admirentur: Vos, mihi credite, etiam habebitis quod in cedris, platanis, cupreſſis efferatis; quod in camelis, rhinocerote, elephantis ſuſpiciatis: quod in aquilis,

Hiſt. natur. l. ij. c. 2.

Tranquill. l. 4. c. 45.

Apologia 1. pro ſe.

De his v. Plin. diuerſis in locis.

gruibus, ſtruthiocamelis commẽdetis: quod in priſtibus & balenis ex Indico mari; in phyſetere ingentis columnæ modo ſe attollente ex Oceano Gallico; in arbore, Gaditano pelago; & rota, hoc à radiis, illo à patulis ramis nomen adepto celebretis. Myrmecidem ob quadrigam & agitatorem ſub apiculæ pennis apricantes; & Callicratem ob formicas eburneas ſuſtulit in cœlum antiquitas: Sed ijdem à cœlo delapſi ſunt, vbi Phidias ſuam Athenis Mineruam expoſuit; & Staſicrates ex Atho monte Xerxis formauit effigiem, quæ dextrâ retineret vrbem cum decem incolarum millibus, & amnem ſiniſtrâ funderet in proximum mare decurrentem. Ita igitur rem ſe habere videtis, Adoleſc., quod vt ſtatuas, ſigna, picturas, hominum denique, multorúmque animalium formas, arborum etiã, ſi modo ſint decoræ, nihil magis, quàm amplitudo commendat, ſic & ſcriptionibus ipſis, quæ Reipub. bonum ſpectant, authoritatem quandam, & pulchritudinem adiicit magnitudo. Hyems quidem, vel morbus, licet breuis, longior tamen apparet. Ver autem (confeſſa loquor) vel bonam valetudinem nimis lõgam nemo dixerit, cui ſanum fuerit ſinciput. Sed ne modum, quem etiam cuiuis volumini adhibendum ſcio, & confiteor, in epiſtola excedam, finem hic facere mihi eſt animus, ſi priùs monuero vos, hæc à me allata, tantummodò, vt malignum petulantium linguarũ virus appoſitis alexiphar-

Id. l. 9. c. 4.

Aelian. de Var. hiſt. l. 1.

Cic. de clar. Orat.

Plutarch. in Alexand.

Plin. ſecund. epiſt. l. 1.

macis compeſcerem, non vt me, ſicuti iam dixi, nihil quicquam his in contractiorum vigiliarum lucubrationibus deliquiſſe, aut prætermiſiſſe docerem. Homo cùm ſim, me

Ες πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι *Hom. Il. 6.*

nunquam non diffitebor: vt vero verius Xenophon ſcripſiſſe videatur, Οὐ πάνυ ῥᾴδιον ἐστὶ εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ αὐτῆς (ἐπιτιμήσεως) αἴτιον ἔχοις. χαλεπὸν γὰρ οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν: χαλεπὸν ἢ δὲ ἀναμαρτήτως τι ποιήσοντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. Si autem, optimi Adoleſc., in canina Obtrectatorum facundia eleuanda longior eſſe viſus fuero, ignoſcite: eò me prouexit, non illorum odium, ſed dulcedo quædam vobiſcum loquendi, & mutuæ familiaritatis amor, *Xenophon. 2. comm.*

Quod ſi crimen erit, crimen Amoris erit. *Propert. l. 2. eleg. 30.*

Valete, & me amantiſſimum veſtri mutuò amate, legite, ſuperate.



IN ORNATISSIMI VIRI, Præceptoris colendissimi de Duello opus.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI S. R. E. Purpurato D. D. du PERRON, Archiepiscopo Senonensi, Galliarum & Germaniæ Primati, Franciæ Eleemosynario.

EPIGRAMMA.

PVrpureæ pars magna, mihiq; colenda cohortis,
Quem famæ in gentes mobilis ala vehit:
Sume hilaris, docta quod dedicat arte RVALDVS,
Erutáque è veteri cerne DVELLA *situ.*
Regius Henrico sternatur iudice campus,
Doctáque Liligerum spectet arena ducem,
Quo præsente, acer Perronius induat arma;
Nec sit fallaci Plessius ore ferox:
Sed citò succumbat, victus quoq; porrigat herbam,
Cedat & ingenio nomina digna tuo.
Ergo DVELLA *cliens tibi dum offert ista* RVALDVS,
Te tibi dat, maius munus habere cupis?

Iacobus de Groucy.

Ὁ αὐτὸς τῷ αὐτῷ λαμπροτάτῳ Καρδινάλει Περρωνίῳ, περὶ τῆς Μονομαχίας

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἐχθρὸς ἐμὴν ῥα κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅστε λυγρῶς λύπει τὸν θεὸν ὀρθόδικον.
Κεῖνος ἀνὴρ πέλεται δὴ οὐδὲν ἐὼν, γε καὶ ἄφρων,
Ὅστις ἐπισκώπτει τὴν θέμιν ἠΰγλυν.
Πᾶσι βροτοῖσι κατάψυσον τοῖς ἐστὶν ὄνειδος,
Ὅστε καλοῦ μωμᾷ θεῖον ἄνακτος ἔπος.
Οὐλομένων ἀστεῖός γ᾽ ὑψηλὸν ἀτασθαλιάων,
Ὅστε νόμων παρορᾷ, δυσμενὲς ἦτορ ἔχων.
Ὅστις φυλέταις ἔελδα προφέρηται ἀέθλων,
Τούτων ὁ πλείους ποιεῖ ἀτασθαλίας.
Ἀλλ᾽ ἴστω γε τὸ πᾶν μείρων ὑπερέχεθ᾽ ἑκάστων,
Γήματά τ᾽ ἄλλα δυοῖν ὅσσ᾽ ἔχει πόλεμος.

Iacobus de Groucy.

De necessario de DVELLIS opere CL. V. D. Ioannis Rualdi, Professoris literatiss. Collegæ amantiss.

AVsonij & Graij multorum prælia libris
Scriptores, claris & cecinere modis,
Quisque suos laudans ciues: diuersa RVALDVS
Argumenta stylo fertiliore capit.
Nam ritus damnat patrios, & dira DVELLA
Deuouet, ingenio & nobile condit opus.
Excutit antiquos mores, & iura retractat,
Quid fas? quid princeps legibus esse vetet?
Intentatum opus est, hinc surgat adorea maior,
Et grates vetera, & sæcula nostra ferant.

Thomas Dempsterus I C. Augusti
Britanniar. Regis historicus.



AD LECTOREM.

Animaduerte, Lector, argumentum huic S. C. subministrari ex Monomachia, seu Duello, cuius conuicti Bellatores quidam, finguntur hoc in iudicio de fama, de capite, de fortunis omnibus laborare: sicut Orationis, quæ in Duella mox habebitur, narratione planum fiet & apertum.

Memineris & hoc. Educi à nobis dictionem hanc ex domestica exercitatione & vmbratili, in qua concinnam magis, variã, lasciuam, & abundantem Orationis vbertatem, quàm argutam & concisam breuiloquentiam consectamur. Volunt enim optimi dicendi Magistri esse in Adolescẽtibus (quorum caussa hæc præsertim elucubrata sunt) vnde aliquid possit amputari. Cæteroqui vbi ex vmbraculis scholasticis mediũ in agmen, in puluerem, in aciem forensem procedendum est; scio & fateor non tam ludicra & ioculari pugna, quàm verâ & seriâ dimicandum: non tam vehemẽti & incitata oratione ceu gladio, quam subtili, presso, & a- Cic. 2. de Orat.

plexu ac imperio humanæ Naturæ, veriùs loquar, ſecundæ Diuinitatis, quæ omni parte abſolutiſſima eſt, comprehendi. Τί γὰρ οἱ ἄνθρωποι; θεοὶ θνητοί. τί δαὶ οἱ θεοί; ἄνθρωποι ἀθάνατοι, aiebat Heraclitus. At enim ſapientes non defuerunt peritiſſimi, qui (Pythagoream doctrinam eruditi facilè iam agnoſcunt) mentem ipſam exutam & liberam, vitæque ſtipendijs corpore ſuo abiuratis, imò & bonam cupidinem, vt diuinæ naturæ participem, atque ex alto depreſſam domicilio, ſic & in Deorum numerum aſcribendam exiſtimarint.

Lucianus περὶ τῶν βίων πράσεως.


Apuleius ex Ariſt. l. de Deo Socrat.

———Diíne hunc ardorem mentibus addunt,
An ſua cuique Deus fit dira cupido?

9. Æneid.

Sed hæc paulò ſubtiliora, & altiùs, quàm par quibuſdam videbitur, repetita omittentes, ſaltē cū Græcis, qui ſemper eruditionis & ſapientiæ principes eſſe voluerunt, dicere non verebimur, Hominem præſtantiſſimum animal in terris à Deo conſtitutum, velut accuratam & compendioſam rerum omnium creatarum ſummam ac epitomen. Cœlum ipſum intuere, vide quàm rapidè voluitur, quàm pulchris noctem illuſtrat ſideribus, quàm rutilo planetâ mūdum patefacit, quàm tuto immenſitatem orbis clypeo obtegit, quàm miris fulgoribus variata cælamina nobis ſuſpicienda proponit: Iam profectò intelliges ſupernas illas beatarum mentium ſedes admirabili & æqua proportione fabricæ hominis & compoſitioni apprimè reſpondere. Enimuerò, vt ex vngue, quod aiunt, leo-

Ioan. Goropius Becan. Gallicor. l. 4. vbi μικρόκοσμον maioris mundi typum περιφράζει.



nem dignoſcamus, cæteris humani corporis partibus ſilentio prætermiſſis, vnum caput, cerebri conclaue, ſolium purioris ac diuinioris ſcientiæ oculis & ſolerti animo contemplare: Illud cœleſtium domorum altiſſimam, lucidiſſimum infinitæ geniorum immortalium frequentiæ domicilium feliciter exprimere iudicabis. Intende Firmamento (orbem extimum diceret Tullius) In eo infixi, qui voluũtur, ſtellarum curſus ſempiterni, attentos ſpectantium animos in ſui conuertunt admirationem. Sed ecce natura ſolers & ſapiens rerum gubernatrix aptiſſimâ confuſione cranio, quod fundamentum ac ſtabilimen capitis ſoleo nuncupare, infinitos capillorum ordines inſerens, compoſitos admodùm, & artificioſos exemplaris iſtius cœleſtis contextus rurſùm aſſecuta eſt. Oculi mobiles & lubrici tenuiſſimis membranis perlucidis & firmis vndique ſtipati, ac velut ſinuoſa retruſi conualle, prominentibus illinc ſuperciliis, & fronte ceu vallo aditum intercludente; hinc protuberantibus (verbum, quo elegantiùs loquar fortè habeo, quo ſignificantiùs, non habeo) malis, atque ab imo ſicut cliuis ad propugnacula coorientibus, quaſi ſpeculatores ſupremam capitis ſedem occupāt, ex qua plurima circumſpicientes ſuo munere funguntur. Eos contemplare; Solem & Lunam dices. Vide quàm ſenſim ac leniter aures geminæ duros & quaſi corneolos habentes exitus ſordes amaras & putrem ſudorem,

In Timæo.

L. Cal. Rhod. antiq lect. l. 3. c. 28.

Cic. 2. de nat. Deor.

foras emittant; Martem & Venerem recordaberis. Aſpice Nares, contractiora propter naturæ neceſſitatem habentes foramina, quibus humor redundans & pituitoſus foras erumpat: Tibi ſalutares Iouis & Saturni planetæ in memoriam redibunt. Os ſedes orationis & eloquentiæ vocem aëri committit quaſi vehiculo, quę incredibili celeritate in alienos ingreſſa animos tã inſigniter ſuam inibi ſpeciem imprimit, vt mœrẽtes conſoletur, inani lætitia elatos cohibeat, à timore deducat perterritos, & in quemuis motum Auditorem impellat: hæc attende; Mercurium genuinam Suadæ medullam credideris. Quid dicam, naturâ duce, Cor, ſicut Imperatorem ſapientiſſimum ſtatiua ſibi caſtra, ſeu prætorium, in medio corpore humano ſelegiſſe, vt ex eo, tanquam Alexander Macedo ex media pelle bubula, ſicci & humidi alimenti tãtum cuique parti diſpertiat, quantum accommodata poſtulat æquabilitas: neque alias partes tumidas & redundantes, alias exhauſtas & enectas eſſe patiatur. Sol autem mediam ferè cœleſtium ſphęrarum regionem obtinens, dux & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens Mundi & temperatio, cuncta ſuâ luce luſtrat, reficit æqua liberalitate: Vtriuſque vim, ſedes, & officium perpende; Vnum dices. Mitto quatuor interiores huius admirabilis fabricę partes, quatuor primis rerum omnium primordiis aſſimiles haud ineptè videri; Igni flauam bilem, Animæ ſangui-

Diod. Sic. in Alexand.

nem, Aquæ pituitam, Terræ atram bilem. Taceo crescentem plantarum vitam, sentientem brutorum, homini iuxtâ, esse concessas. Non dico spiritualem nobis indui claritatem, vbi mentis altitudine cælorum claustra supergressi diuinæ Maiestatis arcana penetramus. Sileo, ne forsan modestiæ lineas transilire iudicer, Deum ipsum, rerum parentem atque opificem, ab homine mirandum in modum referri ac repræsentari, dum immensæ illius bonitatis contemplatione omnia inspicimus, operamur. Prætereo animos hominum Platoni specula videri nitidissima, in quibus Triadis augustæ verior explendescat imago. Dicere supersedeo, Zeuxin in cœlum frequẽti plausu theatri sublatum, cùm vuas in scena exhibuit ita pictas, vt aues ad eas statim aduolarent; móxque de cœlo elapsum, vbi Parrhasius sic pictum induxit linteum, vt Zeuxis remoueri flagitaret, quò vuæ suę ostenderentur: Apellem equæ lineamenta feliciter exprimentem: Praxitelem marmoream Venerem spectantium oculis proponentem: Myrmecidem ex ebore quadrigam cum agitatore elaborantem, quam alis suis musca integeret: & nauem, quam apicula pennis absconderet: Archytam Tarentinum columbam è ligno affabrè compingentem, librãtem, inflantem: Ægyptios progressum, & voces articulatim pronunciatas confictis Deorum simulachris admirabiliter tribuentes: Archimedem cælos tam eleganter conflantem æneos, vt inibi se-

Cæl. Rhodig. l. 2. c. 17.
In Phædone.
Plin. l. 35. cap. 10.
ibid.
Idem l. 36. cap. 5.
Plutarch. aduersus Stoicos.
Aelian. l 1.
Gellius l. 10. c. 12.
Cœl. Rh. l. 2. c. 17.

ptem planetæ, & eorum motus subtili verti- *Cic.1.Tusc.*
gine deprehenderentur. Taceo, inquam, tot *cul.*
eximios mirabilium rerum opifices effecis-
se, vt homo non tantùm præstantissimæ men-
tis æmulus ac imitator, verũ & ipsum Deum
in operum sublimiorum artificio lacessere
voluisse sæpenumerò visus esse dicatur. Hæc
autem, & cætera id genus infinita mitto, non
quòd apposita non sint, sed quia, vt arbitror,
nemo est tam hebes, tam auersus à rerum
perceptione & intelligentia; qui non asse-
quatur, si meis horis in præstantia & laudibus
humanæ fabricæ recensendis vti vellem, ve-
rendum esse potiùs, ne vox viresque defice-
rent, quàm aut mihi rationes non suppete-
rent, aut dicẽdi copia non adesset. Sed quor-
sùm hæc spectat tam longa, & tam altè repe-
tita oratio? quorsum? vt intelligat Duella-
tor impius nullam existere vbertatem inge-
nij tantam, nullum esse tam diuinum atque
incredibile dicendi genus, quod eius scelera,
eáque multiplicia, hoc vno cõprehensa, non
dicam augere, sed enumerare, aut consequi
oratione possit. Neque iam ex his quoquo-
modo dubito, quin tametsi nullus in te, amẽ-
tissime parricida, sensus humanitatis, nulla
ratio vnquam fuit iustitiæ & æquitatis, nunc
tamen in metu periculóque tuo tuorum tibi
flagitiorum & desperatæ crudelitatis veniat
in mentem. Potésne vllis rationibus in ali-
quam tuæ salutis spem adduci, dùm recorda-
ris in hominum genus (nondum enim Curia,

les dixerim tuos) in teipsũ quàm iniurius, quã insolens, quàm criminosus fueris? Hominem μικρόκοσμον violare ausus es (quid autem est quod Duellator non audeat) tam admirabilem, tam immensum, vt totius vniuersitatis, eorum, inquam, quæ supra infráque terram cœli reguntur circumflexu, specimẽ & exemplar meritò nuncupetur? Istíne tu templo manus sceleratas & sacrilegas afferre conatus es tam augusto, tam sancto, tam religioso, vt supremam Numinis æterni in se valeat recondere maiestatem, quam totus hic mundus eius operâ fabricatus capere non potest? Hæc chara Dei opt. max. species & imago, quæ cœlum tueri iubetur, & erectos ad sidera, tanquam ad certissimum posterioris æui domicilium, tollere vultus, cum furore & insania extinguetur, vt inania mundi ludibria clariùs elucescant? Hæc augustissima corporis & animæ coagmentatio, iis absoluta partibus, quas nec aurum cælatum, nec conchyliata peristromata, nec gemmæ erythrææ, nec baccata monilia adæquare possunt: ad quam resarciendam denuò, Vnigena Dei prępotentis teterrimis ac acerbissimis sese exposuit cruciatibus, quò sudore & sanguine suo fœdissimas seruitutis maculas eius libertati absftergeret, tanta cùm proteruitate impunè atque nobis tacentibus labefactabitur, corruet, dissoluetur? Vos vos amabò, IVD., reputate cũ animis vestris, mecúmque inspicite, quid est in hac caussa quod accusationis indigeat,

Trismeg. in Asclepiade.

Eph. ca. 2. v. 22.

Genes. 1. 27.

Ioan. ca. 3. v. 16.

quis locus ingeniũ actoris desideret, aut oratoris eloquentiam magnoperè requirat? Ecce vna cõmunis animantiũ omniũ lex habetur, non scripta, sed nata, ad quam non edoctę, sed factæ, non institutæ, sed imbutæ sunt, nẽpè vt sui suæque salutis, & eorum, cum quibus naturæ communionem habent, curam suscipiant nõ mediocrem. Nam siue munitas cornibus, siue spicatas aculeis, siue fundatas vngulis, siue dentibus armatas, siue pedũ pernicitate liberas, siue modico caudæ gubernaculo, pinnarum elatione, & volatu contabundo insignes animãtes contẽplemur, semper similem cognatis maculis feram parcere, nunquam leoni leonem vitam eripere, nullo in nemore aprum expirantem maioris dentibus apri, omnem tigridem rabida cum tigride pacem agere perpetuam, & vrsis assentiri crudelibus vrsas sine dubio deprehẽdemus. Nos igitur hominem cæterorum animantium naturâ benignissimum, hominis propugnandi (quid dico?) Francum omnium mortalium cultissimum, humanissimum, Franci conseruandi, non opprimendi caussâ esse procreatum ampliùs dubitamus? An potiùs enitemur, vt quos à generis humani euersoribus, ab oppugnatoribus Naturæ, addo ab hostibus Numinis præpotentis (quid enim aliud est gigantum more pugnare cum Diis, quàm Naturæ repugnare?) deniquè à funestis Duellatoribus ferro & flammâ vsque ad internecionẽ hactenùs vexatos sumus intuiti, eos in

Ann. Seneca epist. 14. in principio.
Cic. 1. offic.
Iuuenal. satyr. 15.
Eadem Plin. hist. Nat. in proœmij fine. l. 7.
Cic. 1. 2. 3. offic. & 3. de fin.
In Cat. maior.

posterum exemplo acerbissimæ castigationis proposito aduersus mirmillonum furentium impetus omni ope, & studio propugnemus? Quid? Si quis paulò audaciùs falcem in alienam messem immittat, arborem in sylua, aut hortis alicuius principis ab imis radicibus euellat; illi quamprimùm lis intenditur, catenæ & vincula sæpiùs iniiciuntur, ergastulo coërcetur, nonnunquam vrbe, domo, penatibus, congressu ciuium ablegatur. Agitur de prosternenda ædicula, de affligendo oppido, de quapiam vrbe inobscuranda? Primùm res ipsa, licèt instaurari rursùs, & splendidiùs adornari possit, in controuersiam vocatur, seniores velut in ancipiti rerum statu consuluntur, quisque mentis aciem in hoc intẽdit, vt intelligat, quid salus Reip. postulet, quid leges prohibeant, quid velint maiorum instituta: Et, prò pudor! præstantissimam hominis structuram, cuius dignitati & magnificentiæ Troiana Pergama, Corinthiacas imagines, Solomonis delubra, & Mausoleum Artemisiæ nullus vnquam, nisi mentis impos, suíque ignarus adæquauit: hanc arborem inuersam, cuius fructibus & Iouialis esculus, & oliua Palladia, & Apollinea laurus, & Venerea myrtus, & Herculea populus nihil par vnquam in lucem eduxere: hanc vniuersitatis Epitomen, hanc æternę Maiestatis effigiem, hoc venerandum diuini Moderatoris simulachrum, homines Triadis augustę quasi gẽtiles & agnatos, effractis iuris diuini atque humani

humani repagulis enormi consilio furoréque disturbari, corruere, dilaniari, in partésque discerpi varias permittemus?

Heu cadit in quenquam tantum scelus? *Eclog.9. Virg.*

Domus euersa est? instauretur. Fores effractę sunt? restituantur. Discissa vestis? resarciatur. Oppidum dirutũ? recreetur. At sorte penitus contrariâ (in quo præsertim ingemiscendum, imò & indolescẽdũ est) hæc singularis corporis & animæ compositio, vbi semel dissoluta ac reuulsa fuerit, vbi in puluerem aruerit, aut in cinerem compressa, aut in nidorem tenuata, aut in humorem soluta fuerit, nulla vnquam arte, nisi post vniuersam elementorum conflagrationem, nulla humani artificis curâ aut ingenio redintegrari, ac iterùm æquâ cõiunctione poterit coagmentari & reconcinnari.

Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ. *Propert l. 4. eleg. vltima.*

Sol quidem demergit & oritur; sidera labuntur, & redeunt; arbusta hyemi cedunt, vere frondescunt; flores affliguntur & reuiuiscũt. Corpus humo inclusum occidit, prorsùs, non occultat virorem ariditate mentitâ.

Soles occidere & redire possunt:
Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda. *Catull. Epigr.5.*

DIXIMVS quidem commodè satis de Hominis dignitate & præstantia: simúlque Naturæ consensum, atque res plurimas sumus complexi, quas vnà Duello violari certum vobis

est & exploratum. Nunc videndum est de iustis Patrię, communis omnium parentis, querimoniis, quæ Duellatores quosque, vt parricidas furiosos atque amentes, vt vecordes lanistas, & mente captos, & tragico illo Oreste aut Athamante dementiores, suppliciis coërcendos acerbissimis ad sancta iustitiæ puluinaria obnunciat, vociferatur. Vos illius, I V D., neque authoritatem, neque vim, neque iudicium pertimescetis? Illam ecce audire & videre mihi videor, cœno ac pædore horridam, togâ pullâ obuolutam, lacrymas mœstissimo vultu largiter effundentem, gressu tamen verecundo, oréque subtristiori, & grauitatis plenissimo Duellatorem quemlibet armatũ, & cruoris fraterni auidissimum, his aut similibus verbis compellantem:

Fili animo meo carissime, quò tendis? quid efflagitas? qui sensus est armorum tuorum? quid tuus ille districtus in media pace gladius agit? cuius sanguine mucro ille tuus madescit? quâ fronte? quibus oculis? quo animi ardore præcipitas? Ah! nimis vrgeo: discussa est caligo, diluxit, vultu mentis interiora patent,

Senec. in Hyppol. act.1.sc.2.

Fatale miseræ matris agnosco malum:

Francus in Francum ruis, frater fratrem petis: iam cruore gallico pauimenta hæc passim exundant, laceras video delicias meas, meam progeniem carissimam, meos liberos

2. Æn.

Alterum in alterius mactatos sanguine cerno.

Itane verò? tantũ immanitatis, tantum auda-

tix, Duellator? Siccine abutêre patiētiâ meâ, ſceleſtiſſime? Siccine hos mactabis, cùm voles, illos, cùm voles, vitam viuere tranquillam permittes? Siccine ſceleratus in fratres tuos, in tuam matrem ſceleratiſſimus ferrum illud nefarium, illas faces funeſtas mihi meiſque liberis luce dulcioribus intentabis? Ideóne te mihi peperi, paruulum educaui, adoleſcentem ſummis animi & corporis dotibus circumſepſi, præclaram dimicandi facultatem meâ diligentiâ edocui, vt tot à me beneficiis & honoribus cumulatus, eam vim armorum in exitium tuorum Curialium conuerteres, méque tibi firmiſſimis columinibus atque ornamentis exuendam; exutam, opprimendam; oppreſſam, omninò extinguendam ſuffocandámque arbitrarêris? Per Deum immortalem oro te, quid muſſas? quâ lętitia perfrueris? quo in gaudio baccharis? Sic reſipiſcis? ſic in tantam ſæuitiam ingurgitaſſe te pudet? Scelus iſtud non mœrorem vllum, ſed potiùs incredibilem quandam parere tibi poteſt voluptatem? Nunc, me miſeram! auguror in te nullum patriæ charitatis ſenſum eſſe relictum: nullo te puncto temporis veſanam iſtam mihíque exitioſam audaciam eſſe depoſiturum præſagio. Quare pœnas inueteratæ pertinaciæ & obſtinationis luas acerbiſſimas neceſſe duco. Neque enim ciuis modò, ſed tortor, & carnifex, & ſanguinis meorum liberorum ſitiens monedula, tenáxque,

Nec miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo, *Hor. de arte poët.*

videris: quam nisi atteram quamprimùm & enecem, cerno iam animo sepulturam mihi paratam, miseros atque inhumatos intueor meorum natorum aceruos. Quanquam quid loquor? quid cogito? ecce animum geminus timor in partes distrahit contrarias. Potero cruenta nece dilectam progeniem spectare? Potero gladios & enses in eius perniciem exacuere? Quos amissos fleo, viuos potero iugulare?

Senec. in Hipp. actu 4.

——————*O nimium potens,*
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes,
Natura? quàm te colimus inuiti quoque?

Nunquam, fili mi, ad hanc miseriam te peperi, neque ad hoc opprobrium penates tui te reseruarũt. Potiùs expergiscere, expergiscere tandem aliquando, *Proijce tela manu sanguis meus*, salutarem meditare pœnitentiam; atque cùm animo tuo cogita, vehementer iniquum esse & præposterum, vitam, quam à natura propter me accepisti, ipsi, cùm cogat, reddere, mihi, cùm rogem, non conseruare: & cùm liceat summo cum honore & virtute in discrimen venire pro tua Repub., malle per dedecus & ignominiam gentilium mucrone oppetere, aut illis necem afferre truculentissimam. Deus, Deus tandem te respiciat, & ritè ab immanitatis sordibus expiato meliorem omnino mentem tribuat: faciat vt frangaris, vt te corrigas, vt in gyrum humanitatis, atque bonam frugem te aliquando recipias. Quòd si omne stirpis humanæ bonum dege-

6. aneid.

nerauit in te vitio deprauatæ voluntatis, si ciuilibus discordiis, atque solo Francorum sanguine recreari solitus eadem parricidia rursùs aggrederis, occurram ego ipsa,

——— & armis obuium opponam caput,
Stabo inter arma, petere qui fratrem volet,
Petet antè matrem: tela, qui fuerit pius,
Rogante ponet matre: qui non est pius,
Incipiet à me.

Sen. in Thebaide actu 3.

Sed, vt malè ominari desinam, mea te moueat calamitas, in tristissimum squalescentis & afflictę communis parentis vultum aduertas quæso, cordéque penitissimo nunc tãdem miserearis, cùm deposita nondùm, atque ab omni spe derelicta sibi videtur. Exhibe signũ aliquod immutatæ voluntatis; Iudicis metum depone; quidquam facinori obtendere cessa: tu ad parentem loqueris, eámque tuæ salutis, ni obsistas, amantissimam. Dic igitur, errasti? lapsus es? temerè fecisti? parum cauisti? pœnitet? erubescis? maternam pietatem imploras? delicti veniam petis? vitam meliorem meditaris? Hei mihi! quid hæres? quid animi pendes? quid fluctuaris? quid muginaris?

Ibid.

Negare matri, qui diu dubitat, potest.

Sed si tam obstinato animo perniciem Francorum expetis, me me, adsum quæ illos peperi, discerpe, mea transadige pectora, demitte gladium in iugulum parentis, montes malorum in me ardentes proiice, statim expirabo: Vel potiùs tibi filio peruicaci, desperato par-

ricidæ, maternorum consiliorum irrisori,

Dij, si qua est cælo pietas, quæ talia curet,
2 Æneid. *Persoluant grates dignas, & præmia reddant*
Debita, qui nati coram me cernere lethum
Fecisti, & patrios fœdasti vulnere vultus.

Me quidem, IVD., exanimant atque interimunt hæ natalis soli querimoniæ, quas audire quotidie ad primum Duelli auditum, & quibus interesse frequenter mihi videor fingóque: liberæ sunt enim cogitationes nostræ, & quæ volunt facilè audiunt, & quodammodò intuentur. Eas igitur, vt dixi, si coram vobis Patria loquatur, nonne ius & æquitatem impetrare debeat, etiamsi ad id peragendum aliis rationibus grauioris momenti, quas ego statim subiiciam, vos impelli non aduertatis? Quid enim impedit vos? Mósne veterum Gallorum? At illi cæci adhuc & hebetes iurgia, iras, simultates cum hostibus exercebant (In Catilinar.) (vt Salustianum de P. R. testimonium ad nostros deflectam) ciues cum ciuibus de virtute certabant: ab hac autem pugna tam atroci & impia adeò feruntur abhorruisse, vt vix ac ne vix quidem vnicum Duelli ciuilis exemplum, saltem absque Magistratuum cõcessu, apud veteris memoriæ speculatores deprehendatur. (Strabo li. 4.) Sed potiùs illi melioribus imbuti præceptis, atque laudabili Bellorum ardore inflammati, vere redeunte, in alienas migrabant prouincias, veriti ne se suorum sanguine tribulium in otio vitam agentes inquinarent: & hostium gloriosè cæsorum nõ spo-

lia modò, verùm & agros, qui Salici dicebantur, fortissimo cuique, ac de suis bene merito largiebantur. An igitur Saxones, qui naturæ diritate & ferocia Gallos omnes anteire crediti sunt, æmulari placet? Sed illi quondam à Romanis gentium victoribus in prælio fusi ac profligati, & in vincula coniecti, mortem sibi consciscere maluerunt, quàm committere, vt in arenã, victorum arbitratu, educerentur; necem, Duellatorum instar, sibi inuicem ex amphitheatro mutuis vulneribus illaturi. An Pythagoræ, magni quondam in Græcia honoris & disciplinæ, tum etiam authoritatis; indéque nomen apud veteres assequuti, quòd non minùs vera diuináque, quàm Apollo Pythius loqueretur, auscultari vultis? At ille non modò nullas hominum saluti machinatus est calamitates aut incommoda, quin potiùs vindicem ac pro pugnatorem ipsarum belluarum sese præbuit acerrimum; adeout Metapõtum proximè, iactus piscium, queis mortem alioquin imminere præsentissimam nouerat, nundinatus esse dicatur, móxquè illud, quo inclusi tenebantur, laxari iussisse verriculum, non quòd eos ceu alienigenas, & delicato parum faciẽtes stomacho respueret aspernaretúrque, sed vt illis cũ vita optatissimam ereptæ à piscatoribus restitueret vsuram libertatis. An primos Christiani nomine insignitos reueremini? At illis homicidium nec videre fas, nec audire: tantúmque ab humano sanguine cauebant, vt nec edu-

Symmachus l. 2. e. 42.

5. Tusc.

Beroal. in ij. lib. asini aurei Apuleij.

Lucia. in auctione vitarum.

Plutarch. l. 8. quæst. conu. q 8.

Apuleius in magia.

Minutius Felix in Octauio.

lium pecorum in cibis, aut sanguinē vnquam cognouerint. Sic mutuo amore se diligebant, sic se *Fratres* vocabant, vt vnius Dei parentis omnes, vt consortes fidei, vt spei cohæredes. An Christianæ mansuetudinis desertores (quod abominor) ad Mahometi portentosæ ac detestabilis Megæræ statuta cōfugere vultis? At Monomachiam ille suæ hæreseos tuitioni & incremento censuit tantoperè contrariam, vt eâ, ceu peste infestissimâ, Turcis cùm domi, tùm militię (vbi plerumque leges & iura silent) omninò interdixerit; itaut in Turcico exercitu, eóque trecentis aut quadringentis plùs minùs armatorum millibus composito, vix vlla vnquam iurgia & dissensiones oriantur: quæ, si quando existant; tamen (quia *Lex prohibet binos nudo concurrere ferro*) neutiquam singulari prælio, sed ex Ducum superiorum, & Tribunorum militarium sentētia placitóque dirimuntur. An denique reliquarum animantium inuidiam, si quæ illa sit, refugitis? At illas, vt antè significaui, partu, atque educatione, & naturâ ipsa conciliari, suæ incolumitatis propriæ, & earum, cum quibus generis sexúsque communionem participant, curam ac solicitudinem suscipere perpetuam ait Satyricus, & alter vates optimus cum experientia suffragatur:

Argum. 6. Theb.

Pro Roscio Amir.

Iuuen. sat 15.

——stabulare bimembres
Centauros, vnáque ferunt Cyclopes in Aetna
Compositos: Sunt & rabidis iura insita monstris,
Fásque suum.

Papin. l. 6. Theb:

Nunc

Nunc igitur, amentiſſimi Duellatores, quid agitis? quid ad hæc reſpondetis? aut quæ vobis quaſi per caliginem cæcitas perſtringit aciem animorum? Tantáne ſatietate vitæ, & omnium gentium faſtidio, à veſtra ciuiúmque ſalute abalienamini, vt communis intertrimenti neſcij deſperato cædere aut cadere malitis parricidio, quàm toti ad nutum communis veſtræ parentis, omniúmque conſuetudinem mortalium compoſiti opportunum præſtolari tempus, quo patriæ, religionis, aut amicorum tuendi cauſsâ clariſſima veſtræ fortitudinis teſtimonia in omnium conſpectu exhibere poſſitis?

——Manet ingens copia lethi
O iuuenes, ſeruate animos, auidúmque furorem
Sanguinis aduerſi.

Stat. Theba. 6. in fi.

Nihil vos terræ altricis querimoniæ, nihil Deorum tutelarium gemitus, nihil inuiſa perditorum hoſtium gaudia, nihil effuſę conſanguineorum lacrymæ, nihil ab iſta carnificina auerſi beatarum mentium vultus, nihil prodigioſæ damnatorum ſpirituum admurmurationes, nihil ſincera fortium virorum magnanimitas, quæ nihil extimeſcens, nihil, quod homini accidere poſſit, à ſe alienum putans, nunquam ad arma, niſi pro æquitate & commodis publicis procurrit, nihil veſtræ & veſtrorum ſalutis pericula mouere vnquam poterunt? O duram, IVD., & ferream hominum naturam! ô fruſtrà ſingularem in armis comparatam experientiam! ô fallacem

& calamitoſam eorum fortunam, & inanes cogitationes, qui pluſquam Cimmeriis immerſi tenebris, pro fortitudine ignauiam, pro gloria dedecus, pro quibuſuis omnium ore laudatis virtutibus damnatam à ſapientibus exiſtimationem ac turpitudinem ſibi libenter inurunt! Quid enim abiectius, & effæminatam animi mollitiem magis redolens, quàm vel minimam ferre non poſſe illatam ab imprudentibus iniuriam; &, cùm norint magni Heroës, quòd

Martial. epigr.

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam;

Sueton. in Ner. c. 49. Petr. Chryſol. ſerm. 16. Q. Curt. l. 5. de geſt. Alexand.

Neronis Imperatoris, aut Virginum Libycarum inſtar præ ignauia & dolore ſimul ferro ſibi tranſadigi pectora poſtulantium; manu quidem hoſtili, ſed auſu ſacrilego ob ærumnas occurrentes extremum ſuæ vitæ diem maturare? Præſertim cùm fortium virorum ſit magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam: Cúmque tædio laboris ſæpe ad vilitatem ſui compellantur ignaui. τὸ γὰρ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Quid turpius & inglorium magis, quàm ruere belluarum ritu in perniciem non neceſſariam, illúdque mente præcipiti diſcrimen appetere, cuius exitu ſempiternis victos damnari cruciatibus; victores autem in aëre, &, quod Theodoro Lyſimachus non minitatus eſt, ceruicibus in terram depreſſis putreſcere, aut ſaltem in fuliginoſis perpetuæ cuſtodiæ receſſibus lentè feſtinando animam exhalare ſanctiſſima Regum noſtrorum in-

Ariſtoteles 3. de morib. ad Nicom.

Cic. 1. Tuſcul.

ſtituta voluerunt? Quid crudelius, quàm vitam à natura pro Reip. defenſione acceptam ad huius oppreſſionem calamitatémque conferre; & ipſis igni ferróque minitari, quos iiſdem mœnibus ac terris conſtitutos Patriæ leges, naturæ ius, & cœleſtia documenta noſtræ fidei commendarunt? Quid imprudentius & inuidioſum magis, quàm ad noſtras perturbationes compeſcēdas illuc confugere, vnde paucis lethali vulnere non appetitis gradum reuocare conceſſum eſt? Nemini verò, niſi cui & tædæ furiarum vltrices, & angores conſcientiæ, & ſyndereſis,

Occultum quatiens animo tortore flagellum, *Iuuen. Satyr. 13.*

& omnium probè inſtitutorum hominum odia & inimicitiæ, quandiu in terris degere potuit, obuerſatæ ſunt, nec eum conſiſtere vnquam permiſêrunt? Quid iniquius & perfidioſius, quàm, quia

Non quiſquam Aiacē poſſet ſuperare niſi Aiax, *Metamor. 13. fab. 2.*

iis in media patria lucis vſuram eripere, qui repreſsâ Sabaudiæ arrogantiâ, protritis Iberorum turmis, fugatis Anglorum phalangibus, ſarti tectíque, & victoriarum pleni ſemel atque iterùm, ac ſæpiùs reuerterunt? Sic olim, ὦ παιδοφόνε μῆτερ, ὦ πανώλεθρε, ὦ κακόφρων, ὦ πανώλης τυνδαρίς, ô Clytæmneſtra, quem Agamemnona regum regem, ὅν πατρίδαν, Δϊ ἴκελον, ἀρυκρείονα cædere potuerunt *Eurip. in Oreſte. Idem in Electra. Eurip. in Iphigen. Homer. Iliad. α. & Ili. β.*

Non ſola Danaïs Hector, & bello mora,
Non tela Paridis certa, non Memnon niger,

Senec. in Agamen. actu. 2. sc. 1.

Non Xanthus armis corpora immistis gerens,
Non niuea proles Cycnus æquorei Dei,
Non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx,
Non picta pharetras & securigerâ manu
peltata Amazon, hunc domi reducem paras
Mactare, & aras cæde maculare impiâ.

Roma gẽtium regina, lúxque terrarum, tuam fidem! quàm felici solo, quàm iucundo aëre, quàm benigno astrorum iactu te olim gauisam esse ex nostris miseriis agnoscimus, quæ per septingentos annos & ampliùs neminem (Manlios & Catilinas quosdam semper excipio) nisi tuæ incolumitatis vindicem acerrimum, suorum propugnatorem Curialium, atque, quod caput est, ciuilis Duelli osorem maximum peperisti! Vsque adeò scitè vnum illud de tuis natis vsurpandum veniebat,

9. Æneid. *His amor vnus erat, paritérque in bella ruebant.*

Quod si cui fortè dubium est, prodeat in medium (audite patienter Franci magnamini & erubescite, & mihi date veniam barbaros homines vobis in Christi militiam ascriptis æquiores & humaniores fuisse docenti) prodeat, inquam, Scipio ille magnus, qui pueritiæ extremum principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum; cuius plerique æquales minùs castra viderunt, quàm hic triumphauit, vt Pompeiani Panegyristæ verbis vtar. Illum autem malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes perdere, dicere solitum accepimus. Prodeat Consul Latinorum eloquentissimus, qui ex coronis milita-

Cic. pro Corn. Balbo. Sabellicus exempl. l. 5. cap. 2.

ribus, quæ fermè maximo honori Romæ fuerunt, eam omnium nobilissimam arbitratus, quam ciuis ciui, à quo seruatus fuerat in prælio, testem vitæ salutísque præceptæ largiebatur, eâ Senatus decreto, & L. Gellij authoritate à Repub. donatus est, quòd ne Patria sibi boníſque omnibus carissima corrueret, ardoréque flammæ Catilinariç Ciues conflagrarent, sui capitis periculo non dubitasset prouidere. Romani verò parietes mediusfidius C. Cæsari gratias habere & agere quōdam gestierunt, quod orbis terrarum princeps factus animum vincere, victoriam temperare, manus à Ciuium sanguine, & ferrum à patriis visceribus potuisset abstinere. O Patriæ seruandæ cupiditas, quid non efficis, vbi semel generosos animos occupasti? Ecce Augustus istius principis ex testamento hæres, in quo vno ita summa fortuna cum summa virtute certauit, vt omnium iudicio plus homini, quàm deceat, tributum fuerit; cùm Antonium sertis redimitum Ægyptiis, stupris debilitatum, ganeonem denique, & nepotem, & sermonibus suis cædem bonorum, atque Patriæ incendia eructantem eiecisset, adeò tamen Duella horruit atque auersatus est, vt ab eodem homine propter conscientiam scelerum desperatissimo ad singulare prælium accersitus sapienter admodùm responderit; Si Antonium suæ vitæ tçderet, satis multas patere ad interitum caussas: se autem arma in Ciues nunquam sumpsisse, nisi

Aul. Gell. l. 5. c. 6.

Cic. pro M. Marc.

Plutarch. in Anton.

Tranquil. l 7. in Ot. c. 10. (eadem de Saluio Othone Suetonius) vt eos in communem vitæ & morum societatem reuocaret. Singularem dubio procul Q. Metelli beneuolentiam in Ciues æmulabatur, cui Patriæ salus dulcior quàm conspectus fuit, quíque de ciuitate decedere, quàm de sententia Reip. salutari maluit; qui denique *Plutarch. in Sert.* haud ignarus, eum qui exercitui pręesset, Ducis sapientissimi non militis temerarij munus obire oportere, turpissimum id pugnę genus à Sertorio sibi oblatum fortissimè detrectauit. *Sabell. l. 3. exemp. c. 3. ex T. Liuio.* Quid dicam M. Torquati filium summâ virtute, pietate, gloria militari, cùm hostis iacentis spolia referret, multáque suorum lætitiâ in castra reuerteretur, iussu patris securi percussum, quia Genutium Tusculanum ducem, cauillabundum verò, & quempiam ex Romanis, qui secũ in apertum armorum discrimen descenderet, postulantem, Imperatore non cõsulto, excepisset? Quod supplicium satis acre & vehemens in alterum cum ciue suo Monomachiâ congressum effingi posse credidisset Torquatus, qui filium pro Rep. fortiter iuxtà & feliciter, sed minùs cautè, hosti hac pugnâ vsuram lucis eripientem tam seuerè iussit enecari? Taceo Cl. Asellum, *T. Liu. l. 23.* & Q. Crispinum, militari virtute conspicuos, *Valer. Max. cap. de Hum.* hũc à Badio Campano, illum à Iubelio Taurea ad Duellum euocatos, vel iussu totius Romani exercitus, in arenam inuitos descendisse: tantùm abest, vt cum suis Tribulibus certamine tam fœdo dimicare voluissent. O

populum dignum orbis imperio! dignum omnium fauore & admiratione hominum ac Deorum! Meritò huic vrbi à primis eius incunabulis diuino permissu datum est, vt esset *Terrarum Dea, gentiúmque lumen, Cui par est nihil, & nihil secundum*; vt leges, iura, religionem cæteris nationibus & olim poneret, & hodie ponat: vnde quondam extiterunt tam multi principes, qui se non sibi suísque insanis cupiditatibus, sed patriæ & ciuibus amantissimis natos nunquam non confessi, Monomachiam velut Reipub. cuiusuis dehonestamẽtum atque luem impurissimam suo exemplo condemnarunt. Sed, vt eò reuertamur, vnde nos facta Quiritium priscorum mentio paulisper abduxit; de vobis, boni Duellatores, sciscitor, vósne istos Duces maximos, æternáque apud posteritatem memoriâ & prædicatione decorandos æmulati, omnes cogitationes, consilia, & labores ad Patriæ vtilitatem cõuertistis; An fœdissimis Manliorum, Statiliorum, Clodiorum vestigiis insistere præoptantes, quoslibet ciues fortissimos, nisi vniuerso & communi excidio, saltem singulari & multoties repetito delere ac interimere decreuistis? Illi, quòd suos conseruarint, adiuuerint, ditauerint, certas in cœlo ac definitas sedes adepti æuo fruuntur sempiterno: hi, quoniam ausi immane nefas, ausóque potiti suæ pernicioso Reip. ad inferos pœnas parricidij soluturi corruerunt præcipites. Illis bene cessit fortissimis dum vixerunt, &

Flor. ca. 8. l. 2.

Mart. l. 12. in Traianum.

ſanctiſsimis cùm obierunt, quòd eorum vir-
tus nec obliuione Ciuium, nec poſterorum
reticentiâ inſepulta eſſe potuerit: his peſsi-
mè, quòd inepti ad publicam ſalutem firmã-
dam, dũ potuerunt, deteſtabiles poſt mortem
vel ſola ſui nominis cõmemoratione aures ę-
quiſſimas bonorum hominũ ingenti horrore
percellant. Illis viuentibus coronas, torques,
armillas, vexilla, ouationes & triumphos aſ-
ſecutis, tandem fortiter occumbentibus im-
mortale monimentum ſuis penè manibus
S.P.Q.R. extruxit: his primùm ad palum per
lictorem ligatis, virgis & ſecuribus meritiſsi-
mè percuſsis, tãdem ad ſcalas Gemonias im-
pacto vnco protractis æternas ignominiæ
maculas inuſsit. Ad vos deſcendo, maleſani
Duellorum fautores, & ſcire ſanè ex vobis
peruelim, quam vos ipſi ſententiam in huius
conſuetudinis examine daturi eſſetis, dum-
modò vel minima iudicij & rationis ſcintilla
in vobis eluceat, niſi & pulcherrimam illam
Romanorum rempub. ideo feliciter tanto ſe-
culorum decurſu ſtetiſſe, quòd ſapientiſsimi
eius Moderatores vt viros de patria bene
meritos ſingularibus beneficiis compenſa-
bant, ſic & acrioribus ſuppliciis ciuem per-
niciosum, quàm hoſtem coërcebant? eámque
ob rem iura Patriæ tandem reſtituenda eo-
rum animaduerſione memorabili, qui pro
ſua cupiditate & effrenata veſania quemlibet
ciuem atque gentilem ad certamen funeſtum
arceſſere contendunt? Nec enim vos vnquam
vllum

vllum discrimen Catilinas inter & nostros Duellatores adhibituros crediderim, nisi quòd illi vnâ nocte Romã sedem imperij & gloriæ cæde atque incendiis vastare ac dirue-re cupiuerunt: hi verò statum Gallicanum mediocriter, vt primò videtur, labefactantes, eundem occultis cædibus ac publicis extin-guere velle meritò iudicantur. Vellem reui-ui ceres, beate Ludouice, nõ expectarẽ equi-dem hac in caussa Iudicum sententiam, ne-que crudelis rerum æstimator censeret, si Duellatorum impia facinora sanguine suo statim expianda postularem. Cur istud? quia Rex ille, ille Rex, qui *Gladius iustitiæ* cogno-minatus est: qui delicta suorum Principum, & infimæ plebeculæ iuxtà pœnis mulctabat grauissimis: qui, spretis plurium vel regiæ au-thoritatis virorum obtestationibus, homici-dium Cocij Principis, etiã aliquo iure innixũ, vlcisci seuerissimè non est veritus; hominis alioqui cùm dignitate & pecuniâ non modò suæ ciuitatis, verùm etiã nobilitatis Gallicanę facilè primi, tùm gratiâ florẽtis, atque cogna-tione Regis Nauarræ, Ducis Burgundię, Co-mitũ Suessionẽsis, Blesij, Campani, Antistitũ plurimorum, &, ne palmarium omittam, Frã-cicæ maiestatis, hoc est, ipsius Ludouici, qui errorem admissum tam æqua lance pondera-bat: Ille, inquam Rex, qui tam acerbè leuio-res suorum Magnatum, sibique sanguinis communione proximorum offensas repri-mere visus est, nullam, mihi credite, in Duel-

Senec. de Ira l. 2. ca. 31. Nefas est nocere patriæ: ergo ciui quoque. Nam hic pars patriæ est. Sancta partes sũt, si vniuersum venerabile est.

Nangius in Chronicis A C. 1256. & Apotheosis D. Ludou.

lorum immanitate punienda crudelitatem inesse autumasset. Nam cùm paterfamiliâs liberis suis à seruo trucidatis supplicium de eo quàm grauissimum sumpserit, non inhumanus aut barbarus, sed clemens ac misericors habeatur; næ ferreus atque importunus à Rege Ludouico dicerer, si minùs dolorem meum contenderem lenire sanguine non dico gentilium, sed eorũ, qui si Franciam suam esse patriam meminissent, si Franciæ illorum animis aliquando obuersata esset effigies, nũquam fratres lacerassent suos, cum quibus æquam pueritiam atque adolescentiam egissent, eodem cœlo educati, iisdem aquis vsi, iisdem atque sacris, iisdem festis diebus, eadem religione, fide, atque maiorũ institutis.

Tandem aliquando, Iudices, respiraui, liberatus sum: nõ vereor, ne quos in hominum genus, in patriam, in naturæ leges, in gentium consuetudinem supra modum sæuire luce clarius apparet, ij apud vos, qui per legum intelligentiam & sanctimoniam vitæ suum cuique tribuitis, vllam veniam sint cõsequuturi. Hominum dignitatem perniciosi mirmillones violarunt, certa crux: patriam scelerati desertores oppugnarunt, naturæ consilia reiecerunt, ius gentium infregerunt; culeus, saxa, & rotæ parentur. Quid hac ratione certius? quid integrius excogitari potest aut incorruptius? Verumtamen si nondùm imperiti & rudes satis cernunt, cùm res ipsa tot, tam claris argumentis signísque luceat, Duel-

latores publicis tradi oportere tortoribus, & morte omnium turpiſſimâ enecari; recordentur per Deum, eoſdem Maieſtatis diuinæ præceptis & arbitrio ſceleſtè aduerſari. Primùm Chriſtianorum non ſecùs ac barbarorum ſer- *Auguſt.* monibus tritum illud eſt & peruagatum; Mā- *Ciui l.1.c.* dato ſummi rerum effectoris ac principis, *17.20.25.* *Lactant.* nobis & piis omnibus retinendum eſſe ani- *l 3 cap 18.* mum his in compagibus incluſum corporis, *Ioſeph.l.3.* nec iniuſſu illius, à quo his in excubiis ſumus *cap.19.* collocati, ex hominum vita migrandum eſſe, *Plin.iu-* *nior. l. 1.* ne munus à Deo aſſignatum defugiſſe videa- *ep.12.Pla-* mur. Deinde ſanctiſſimorum Marci, Mathæi, *to in Phæ.* & Lucæ, à ſecretioribus Maieſtatis ſupremæ *ex quo* conſiliis authoritate promulgatum habe- *Tull.1.* mus, proximo ſiue curialibus, æquè ac nobis *Tuſcul.* ipſis beneficia per nos eſſe conferenda: ho- *Ariſt l.3.* *ad Ni-* ſtes & aduerſarios quoſque humaniter, non *com.* ferarum more, excipiendos, arcana cœli non *Virg.6.* curioſiùs exploranda, alienos errores beni- *Æn.* gnè dimittendos, neminem aut re, aut verbis, *Math.5 c.* *v.22.& c.* aut mente irritandum. Etiámne clariùs, a- *6 v.14.15.* pertiùs, diſertiùs Monomachiā à Deo immo- *Mar. ij.c.* tali fuiſſe damnatam intelligere concupitis? *v.25.26.* Dicam equidem, ſed clariùs, & breuiùs, quàm *Luc.10.c.* res tāta dici poſſit. Aduertite animos auréſ- *v.27.* que precor, & in eas ipſiſſimam ſanctæ paginæ, & probatiſſimorū eius interpretū dictionem volens inſuſurrabo: וְכִי־יְרִבֻן אֲנָשִׁים

וְהִכָּה־אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ בְּאֶבֶן אוֹ בְאֶגְרֹף

id eſt, *Si rixati fuerint duo viri, & percuſſerit alter* *Exod c.21.* *v.18.* *ſocium ſuum.* &c. Mihíne fiditis, Audit. nota-

tioni vulgari non creditis? Saltem Doctorum lxx. omni exceptione maiorũ interpretationi ac testimonio acquiescite. Ἐὰν δὲ ἑβδομήκοντα δύο ἄνδρες, καὶ πατάξῃ τις τὸν πλησίον, &c. Prò Deum immortalem! vbinam gentium sumus? qua in regione viuimus? quos nobiscum atheos & exleges conseruamus? Ecce Numina priscorum, ex ligno aut lapidibus conflata, tunsa malleis, in incudibus figurata, dolata, runcinis leuigata, res dictu fœdissimas & crudelissimas barbaris gentibus prȩceperunt; obtemperatum est: Nos Christiani verissimum orbis parẽtem, artificem animarum, cœlestium terrenorúmque fabricatorem, leges humanissimas & incruẽtas sancientem nõ audiemus? Apud Turcas seu Musulmanos (ita enim se nuncupari volunt) vel summi Dynastæ, Mufsti, seu Mahumetanæ legis interpres; Cadilescheri, hoc est, supremi Iudices; Vezires Bassȩ à secretioribus Imperatoris consiliis; Beglerbegi, castrorũ Præfecti; cætera Ottomanicæ ditionis nobilitas ad Principis per superbiam & feritatem dominantis arbitrium nutúmque expeditissimi, eo innuente sua membra in frusta secant, ferro sibi pectora confodiunt, de saxis aut turrium cacumine in sæuientem Oceanum sese dant præcipites: In Francia Dominus dominãtium, Regnorúmque dispensator, plurimis Sanctissimorum Vatum testimoniis, suis edictis & legibus augustissimis Patriam dulcissimã, amicos, populares, nos ipsos semel atque iterùm cõmenda-

Strab. l. 7. Lactant. 1. cap. 21. Tacitus. l. 14. Sil. Italic. l. 4. ad finem. Hero. l. 7. Alexand. Neap. l. 6. c. vltimo.

An. Mag. in tab. 33. exposit.

uit; obſurdeſcimus tamen neſcio quo fato, nec ea, quæ ab eo ſalutariter monemur, auſcultamus. Antiquis Macedonibus hoſtem ferociter exultantem, & dira probroſáque minitantem ſine principis conceſſu reprimere aut gladio ferire prohibitum eſt: & paruerunt. At ille dominãs in nobis Deus, polléńſque rerum moderator, Francis, hoc eſt; vt haberi volumus, purioris fidei atque ſanctioris luminibus & ornamentis, imperat ne in ipſos Francos, in Curiales, in affines & conſanguineos crudeliter ſæuiamus: & nos, miſerũ me! belluarum non hominum feritatem gerentes ſanctiſſimo huic mandato aures obſtruimus? Tempora, tempora! huccine deuenimus? itáne veſtigiis Nationi Religionis primigeniæ propoſitis inſiſtimus? qui inimicos iubemur diligere, quomodo poſſumus Tribules & proximos odiſſe? odiſſe dico? quomodo ferro, & flammâ, & quauis immanitate diſcruciare, diſcerpere? Non ita mehercule viſum Conciliis Oecumenicis, cùm ad extirpandas hæreſes, quæ variæ quibuſque temporibus pullularũt, tùm ad Monomachiam funditùs exterminandam ritè atque ordine conſummatis: Põtificibus, addo, Præſulibus, Cœnobiarchis, Canonum Eccleſiaſticorum Doctoribus; officiorum Chriſtianæ iuſtitiæ Magiſtris; Senatoribus Franciæ ampliſſimis; primis, vltimis Chriſtianæ ditionis Imperatoribus; noſtris denique Regibus innocentiâ & virtute candidatis. Quorum omniũ iuſtiſſimas conque-

Alexan. I. C. Genial. dierum l. 1. ca. 20.

ſtiones vt à me hîc deteſter ac deprecer, operæ mihi pretium facturus videor, ſi oſtenderim, narrando potiùs, quàm exornando, tot exemplorum & teſtimoniorum authoritatem meæ cauſſæ ſuffragari. Quæſo vos, Iudices, percipite quę dicam, & ea penitùs animis veſtris mentibúſque mandate. *Hæc erit,* ſicut quondam præcinebat Iſaias, *vobis directa via, itaut ſtulti non errent per eam.* Quis enim, non dico, qui acetum multum habeat in pectore, vt ait Comicus, aut in holmo frequenter ſedeat; ſed cui vnica bonæ mentis ſcintilla reliqua ſit, aut vena vlla ſtudij in ſuam ſalutem palpitet, qui dummodò parumper attenderit, ſemitam melioris doctrinæ tam egregiè complanatam non videat, non amet, non amplectatur, & ſenticeta, & vepres, & auia deteſtatus? Non ego longiùs abibo, Anno reparatæ ſalutis octingenteſimo quinquageſimo quinto, menſe Ianuarij, celebratum eſt in Gallia Concilium Valentinum, Antiſtitum plerorumque, & eorum, qui per id ætatis turbæ hominum puritate & innocentiâ prælucebant, Leone ſummi Pontificis perſonam adhuc ſuſtinente; vbi præ cæteris capitibus Romanæ fidei ſtabiliendæ cauſsâ diuinitùs conſtitutis, quę longum eſſet recenſere & ſuperuacaneum, Inſuper *Qui creuerat graui animarum damno in populo Frãcorum abuſus, vt cauſſæ ſæpiùs Duello dirimerentur, ne molitum ſcelus vlteriùs patraretur, canonicâ cẽſurâ cohibuêre; ſtatuêntes, vt qui alterum occideret, ſeu vulneribus debilem*

Iſai. 35. ca. v. 8.

Plaut. in Bacchidibus.

Tom. 3. Concil.

Baronius ad an. Ieſ. Chr. 855.

redderet, velut homicida nequissimus & latro cruentus, ab Ecclesia, & omnium fidelium cœtu separatus ad agendam pœnitentiam modis omnibus compelleretur: ille verò, qui occisus esset, tanquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, à Dominicæ oblationis commemoratione alienus, nec cadauer eius iuxta sanctorum Canonum decretum, cum Psalmis & orationibus ad sepulturam deduceretur. Videtis Synodi probatissimæ nobiscum penitùs authoritatem consonare. Cæterarum, si placet, pronunciata in hoc scelus dogmata veluti per nebulam percurramus: eas deprehendetis, etsi temporibus variis, ipsis tamen rebus in hanc vnam coire & conspirare doctrinam. Nostra fuit, vt pauculas delibemus, atque aurium satietati occurramus, Lugdunensis sub Innocentio IV., quæ ante annos trecentos & sexaginta nouem, Imperatori Federico aquâ & igni in Ecclesia interdixit, quia vel sacris initiatos ordinibus Duellorum sorti obnoxios reddidisset. Nostræ Turonensis & Lateranensis, quæ, quò longiori seculorum decursu inueterascent, eò magis in dies, eóque perenniùs efflorescent. Nostra denique Tridentina, vbi, Deus bone! qui gentium concursus, qui Regum, Principum, Rerũpnblicarum splendor, qui delectus Præsulum Græcorum, & Latinorũ; quæ medulla Theosophorum; qui flores Academici; quæ idiomata, quanta subtilitas, quantę doctrinarum & sapientiæ opes, factionis hæreticæ magistellis nequicquã fre-

Nangius A. C. 1246.

Conc. Later. c. 20.

Cõc. Trident. cap. 19. sess. 25.

mentibus, extiterunt? Enimuerò, si vnquam Dei spiritus illuxit Concilijs maximis, sanctissimis, certè illud adfuit tempus immittẽdi Numinis, quùm, turbulentissimis Nauis Christianę procellis & tempestatibus, omniũ Ecclesiarum, quæ sunt in terris patentissimę, celeberrimæ, castissimæ, religiosissimæ, vnam in vrbem quasi ad portum fidei tutissimum conuolarunt, adhibitísque modis omnibus diuinis & humanis, quibus reconditi quique sacrorum voluminum sensus erui ac eliminari possent, incredibilis hominum copia in soluendis scriptorum Theologorum nodis solertissima, nec non & ad excutiendam examinãdámque veritatem præsentissima expectatum, nec frustrà, Spiritum implorauit, quò piè & salutariter de quæstionibus propositis sanciret. Quæ cùm ita se habeant, prodeat nunc aliquis Duellorum tutor & vindex, nimirùm iuris vtriusque consultissimus, elata ponat supercilia, suspensúmque demittat nasum, atque audiat, mihine an sibi augustus ille Senatorum orbis terræ, & eorum quidem omni exceptione maiorum consessus astipuletur. *DETESTABILIS*, inquit, *Duellorum vsus, fabricante diabolo introductus, vt cruentâ corporum morte animarum etiã perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitùs exterminetur, Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine, Domini temporales; qui locum ad Monomachiam, in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommu*

Trid. Conc. Cap 19. sess. 25.

excommunicati: ac iurisdictione & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quē Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feuda ia sint, directis dominis statim acquirantur. qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis in perpetuæ infamiæ pænam incurrant, & vt homicidæ iuxta sacros Canones puniri debeāt, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in caussa Duelli tam in iure quàm facto dederint, aut alia quacūque ratione ad id quemquam suaserint, nec nō spectatores excōmunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque priuilegio seu praua cōsuetudine etiam immemorabili. Nostra igitur sunt Concilia Oecumenica, primum, media, vltimum, in quibus Duellorum prauitas aliquādo examinata est. His ego pugno, ex his tanquam ex armamentario locupletissimo hastas depromam amentatas, quas in Duellatores (quidni validis & exquisitis auctus præsidiis lymphatas barathri furias, atque perditissimorum dæmonum primipilos dico?) in posterum ita conijciam, vt eas distorquere aut euellere nullomodo possint. Pontifices videamus, summos cœli Christiani secundùm Deum duces & coryphæos. Noster Nicolaus I. ob singularem pietatem, & coniunctam cum summa fortitudine sapientiam, Elias & Phinees ab Hadriano cognominatus, atque in Deorum numerum *Ioā. Diac. in vit. S. Greg. in fine Anas. in Hadr. cap. 2.*

post vltimum vitæ diem ascriptus. Ille contentiones Theupergam Regis Lotharij coniugem castissimam inter, & Vvaldradam pellicem famosam exortas singulari certamine dirimi prohibuit, ídque tantâ seueritate & constantiâ, vt in tot tantísque sceleribus cõniuentes Guntharium Agrippinensem, & Theutgaudum Treuirensem, Archiepiscopos omni dignitate & honore Ecclesiæ, resectos à communione, & diffidatos exuerit. Noster Innocentius IV. Imperatorem Duellorum propugnatorem audacissimum ijsdẽ pœnis mulctandum arbitratus. Noster Celestinus III. qui ex *praua* Duelli *cõsuetudine*, ceu ex plurium malorum scaturigine, infinitas in hominum genus clades scripsit emanare. Noster Stephanus, qui Luitberto Moguntiæ Præsuli scribens, res abstrusas & reconditas altissimo & iustissimo Dei quæsitoris sapientissimi, & oculatissimi, speculatoris iudicio esse permittendas, non ad Monomachiæ regulam examinandas, eruditè, vt omnia, edocuit. Denique, ne ambitiosus videar in Perissologia & circulationibus, Nostri, Iulius II. Leo X. Clemens VII. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. Cæteri omnes militiæ Christianæ dictatores & Esymnetæ, qui verbo aut literis de Monomachia egerunt, nostrâ caussâ sunt concordes. Quoscunque intuitus fuero, siue candidatos innocentiâ, aut martyrio purpuratos: siue Antistites ieiuniis pastos, exerci-

Anast. in Nicolao.

Nag. A. C. 146.

In C. Hẽricus. Extra. de Cler. in duell pug. Iuo Carn. ep. 250.

In Bull. Pap. In extrau. Anno. 1567.

ros vigiliis, ciliciis paludatos: siuè Christianos dynastas, Reges, Toparchas, & Imperatores, illorúmque respublicas, omniũ audio nobiscum voluntates penitus consonare. Testis ille martyrii sitientissimus Almachius, qui ante mille ducentos annos, vt Duellatorum conflictus reprimeret, ex angustis sui Cœnobii penetralibus Romã longo itinere aduolauit. Testis Alcimus Auitus Viennensis Episcopus, qui quâ erat dicendi vbertate florens, & singulari omnium virtutum comitatu circumseptus, corám Gundebaldo Burgundiorum Rege, Monomachiã quasi firmiora populi Christiani decora eruentem ac profligantem acerrimè sugillauit. Testis Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, qui in Ludouicum Imperatorem non indiligenter mehercule, aut inornatè sæpenumerò inuectus est, quòd ille Duellorum abrogationem differre quotidie ac procrastinare videretur. Testes Yuo & Gothofredus, aureum par Doctorum, magni ambo in familia Christi proceres, sed maior ille, qui Carnutensis Ecclesiæ moderamen adeptus, vehementer in quosdam insurgit magistratus ecclesiasticos, qui se Duellorum euersores minùs assiduos & alacres exhiberent. Hic cœnobio Vincedonensi præfectus, libertate loquendi nobilitatus est, quâ Petrum Sanctonensem Episcopum huic probrosæ pesti remedia segniùs apparantẽ exagitauit. Testes vtriusque Theologiæ doctores sapiẽ-

Theodoret. l. 5. ca. 26.

Agobard. ad Ludo. Imper.

Isidor. de viris illustr. c. 23.

Ibidem.

Iuo epist. 247. & 180.

Idem. Ep. ad Petr. Sanct.

Caiet. 2. 2. qu. 95. Syl. hom. 3. Tol. l. 1. ca. 71. Dur. in specul. de accusat. Azpil. ca 15. n. 9. & 10. 1. 2. qu 45. & 2. 2. qu. 95. ar. vlt.

tissimi (mitto veteres) Cajetanus, Syluester, Durandus, Toletus, Martinus Azpilcueta, qui omnes eodem spiritu afflati lanienam torneamentorum, vt loquũtur, gladiatoriam, siue Duellum, quasi Erynnin execrandam ac portentosam, finésque Christianos longè latéque depopulantem, stirpitùs eruendam profligandámque aut publicè concionati sunt, aut literarum monimentis consignarunt. Testis perbeatus ille Thomas, tot Monachorum decus, tot in Ecclesia doctorum pater. Reliquos numero infinitos, assertione nostrâ simillimos enumerare nec possum, nec volo. Sic piget illos repetere Antistites Arelatenses, Viennenses, Lugdunenses, quos in Conciliorum authoritatibus antè posueram. Pergo ad Reges. Testis Luitprandus Longobardorum moderator, qui reminiscẽs non semper à Tydeo Thebanos insidiatores, nonnunquam etiam ab his Tydeum confodi; hoc est, non vbique latronem à viatore, sed sæpissimè à latrone viatorem iugulari; præclarè sustinet, nec ineruditè, aduersùs eos qui Monomachiam in controuersiis obscurioribus admittebant, permultos singulari congressu causâ cecidisse, innocẽtiâ tamen, & æquitate victoriam promeritos.

Conc. Valen. A. C. 855. Lex. Lõg. tit. de monom. Stat. 2. Theb.

Hom. Iliad. η.

Νῦν μὲν γὰρ τούτῳ Κρονίδης Ζεὺς κῦδος ὀπάζει
Σήμερον, ὕστερον αὖτε καὶ ἡμῖν, αἴκ' ἐθέλῃσι,
Δώσει.

Attende casus, attende incertos exitus pugnarum, Martémque cõmunem, & ἀλλο-

πρόσπαλον, qui sępe spoliantem iam & ouantem Polynicen euertit, & Eteoclem iacētem, vltricémque animam in iras, & ensem in vulnera seruantem attollit; tum sine dubio in Luitprandi Regis prudentissimi opinionem cōnspirabis. Testis Iulianus flagitiosus apostata, qui ærumnosissima Christianis tormēta machinari edoctus, vbi sacrarum ædium Lychnos, ritus, peripetasmata conuulsit; vbi patellas aureas, & argenteos calices, & sumptuosa donaria, & opulentam gazam vel eripuit, vel surripuit; denique vbi efferata illa & exitiosa mortalibus bellua, fex, & alimentum, & fomes follísque gehennæ, Christi patrimonium fœdissimum in modum depeculatus est; tandem sibi præclaram tot sceleribus & sacrilegiis Epitasin appositurus visus est, si ludos gladiatorios, vt potè nostrorum Duellorum simulacra & exemplaria, restitueret, atque in odium Christianorum vsu repetito comprobaret. Testis in contrariam partem Magnus ille Constantinus, *Christomastigωn* terror, imperatoriis, ante annos trecentos supra mille, insignibus adornatus, & à Syluestro Pontifice sacro baptismatis lauacro admotus, qui felicissimo Crucis auspicio, cuius effigiem in nummis expressam, in tabulis depictam, in lancea efformatam gestare consueuerat, externorum bellorum, hostiúmque victor, ciuiles quoque discordias firmissimâ Duellorum abrogatione mitigauit. *Cruenta*, inquit ille, *spectacula in ocio*

Ibidem.
Statius. Thebaid. ij.
Bar. ad an. 362. 363.
Zosimus l. 2. & Bar. ad an. 306. & infrà.
In lege vnica, Codice de Gladiator. lib. 11.

ciuili & domestica quiete non placent. quapropter omnino gladiatores esse prohibemus. Longiùs rem deducere superforaneum puto. Nam ex his duobus, altero Christi legibus & subditis infensissimo, altero amicissimo, licebit coniicere; Ciuilísne concordia, an mutuæ occisiones Deo magis arriserint. Qui oderint nostræ fidei statuta, qui religionem suis captiunculis metiti fuerint, qui suas animas auro, crapulâ, libidine, & ambitiosis conspectibus vendiderint, qui locupletissimum Christi peculiũ totâ vitâ profundere, & exhaurire conati fuerint, possúntne non esse amicissimi, non suffragari Iuliano Apostatæ, bipedum sceleratissimo? Nos igitur, qui Ecclesiam, Concilia, Cathedras, Patres, Martyres, Historias, omnia vetustatis & sãctitatis vestigia obseruamus, Constantino astipulemur. Quibus ita constitutis, veteres & longinquos Imperatores diutiùs aggregare suppudet; finitimos solùm atque posteriores speculemur. Testis Carolus is ipse, quem ob præclarè gesta populus Gallicanus *Magnum*, ob pietaté & morum sanctimoniam *Christianissimum* Romani Pontifices omnium primum appellarunt. Ille Aquitaniæ, Italiæ, Corsicæ, Lucæ, Parmę, Saxonum, Spoletani & Beneuentani Ducatuum victor, & Iudeæ Christi natalibus, miraculis, & sepulcro conspicuæ liberator, tandem ad nectaris & ambrosiæ cœlestis communicationem accersitus, eiectis omnibus conscientię scrupulis, quibus angi & torque-

Turp. Antist. in Car. Ma.

ri poterat, testamentum illud composuit, quo suam obtestatur & flagitat posteritatem, ne ad detestabilem Monomachiæ sortem, quippè ancipitem, & regno probrosam vniuerso, suas dissensiones, si quæ vnquam exorirentur, reuocarent. Testis beatus Ludouicus quondam maximâ laude in terris cumulatus, & confecto huius æui curriculo in cœlestiũ Diuorum Concilio collocatus: qui reclamantibus plerisque Magistratibus, atque vitio vertentibus, quòd Maiorum cõsuetudinem, quâ Duellatores innitebantur, concideret, atque contra fidem à se, dum sacro vnguine delibutus coronam excepisset, religiosè interpositam conculcaret; sapientissimè, vt omnia, respondit, se quidem pollicitum esse atque professum Regum superiorum decreta seruaturum, videlicet arbitrio diuino consentanea, seque insuper iurasse, præeunte Rhemensi Archiepiscopo, nihil non moliturum, quod ad Iustitiæ decus & Religionis incrementum pertinere suspicaretur. *Itaque Duella, vt quæ iure essent vetita, ad nullius preces admittere voluit, sed alia ratione, quæ iuri consentanea esset, etiam Magnatũ maleficia castigabat.* Dies me deficiet, ni properem. Testes Carolus V. Carolus VI. & Henricus II. quos à Duellis abhorruisse cuiuis compertum esse puto. Testis, vt ordine præpostero loquar, Philippus Pulcher, quem de hoc certandi genere statuentem latinitate paulo rudiori, & minùs compto sermone, sed veritati & iustitiæ con-

Car. Mag. testamentum. ar. 9.

Vetus formula sacramenti

Gaufridus de Bello loco in S. Lud.

Valliorum Edicta.

R.Ph.Pu. A.F.1303. tit.42.Regia. ordinat.

uenienter quæso attendite. *Ad instar S. Ludouici eximij confessoris quondam Francorum Regis, aui nostri, aliorúmque progenitorū nostrorum, &c:* paulò pòst: *prouocationes ad Duellum, & gagia Duellorū recipi vel admitti, ipsáque Duella fieri vel indici duratibus guerris nostris expressè inhibemus.*

Audi Francia, Ecclesiæ primigenia, Natio cultissima, potentissima, Christianissima; tibi tot Concilia, tot Pontifices, tot Doctores, tot Imperatores & Tetrarchæ consulunt, te tuas partes edocent. Eloquar quemadmodum sentio. Hos Principes, & Duellorū defensores nec vna lex conciliare, nec vnum Cœlum capere potest. Illis ergo te Proceribus adiunge, dignam maioribus, dignā Astræâ, dignam religione, dignam veterum institutis. Scelestissime Duellator, quid caussæ istis Ecclesiæ luminibus, his Franciæ propugnaculis afferes, quò minùs te, ceu adulterinum & terræ filium de suis exterminent, si tot rationum momentis inanem verborum circulationem & futilem sciomachiam, & fabulas ad tuos vertiginis efferatæ calculos exactas anteposueris? Dic sodes, meā interpella orationem, testes habeo nobilissimos orbis Christiani principatus. Num tu euigilas, num faces admouendæ sunt? Testes, inquam, habeo viros non proletarios aut infimi subsellij; sed primos, medios, nouissimos, vt de Alcibiade dicebat Isocrates, hoc est, superioris æui sapiētissimos, præstantissimos. Sta sententiæ non meæ, non tuæ, sed horum omnium. Ego vero, inquis

Isocrat. in Alcib.

rò, inquis, ſuum cuique momentum & pondus non abrogabo: quãquam mihi mens non eſt in eorum ire ſententias, niſi eaſdem Magiſtratuum huius ætatis placito, & Regis authoritate confirmari animaduertam. O circulos! nihilne pudet labyrinthi? ſic tuam in cauſſâ diffidentiam loqueris? ſic declaras extremâ fortuna te confligere, & rebus iam deſperatis & perditis experiri duriſsima velle, atque vltima? Sed interim ſi te iam, Duellator, infamiâ notari perpetua, ſi morte mulctari, & in te conferri peſtem illam, quam tu in Curiales tuos machinatus es, poſtulauero; credo erit verendum mihi, ne non hoc homines, qui nos circumſtant, ingenij acutiſsimi, & ſummæ in Religionem & Patriam obſeruãtiæ, ſeriùs à me, quàm quiſquam crudeliùs, ſuſceptum eſſe dicant. Equidem non faciam id, quod abhorret à meis moribus; tunc denique, vt id poſtulem, adducar, cùm nullæ latebræ, quò confugias, nulla ſupererunt inuolucra, quæ tuis ſceleribus obtẽdere queas: cùm demùm nemo tam mucoſis naribus, tam fœtus impudentiæ, tam luteus, tam mente captus inueniri poterit, qui ſuo ſuffragio ferrum in te, equuleum, crucémque non conſciſcat. Quapropter, vt tibi hac in re morigerer, à ſuperiorum temporum teſtimoniis adfinitima, & ore omnium laudata huius ſeculi ſtatuta delabi perplacet. Sed cùm animaduertam diligentiæ meæ temporis anguſtias obſtare, méque ex comparato & conſtituto

accusationis spatio in semihoræ curriculum coactum, prudens latas à Curiarum principe, & superioribus Franciæ Gubernatoribus de hac Monomachia pœnas & leges silentio inuolnam, vt maximum ab HENRICO IV. Rege maximo & augustissimo, quem hîc honoris & obseruantiæ caussâ nominatum volo, in hanc rem publicè positum, ac à Senatu amplissimo comprobatum Edictum vobis in memoriam linguâ solùm mutata reuocem. Recita igitur illud virili voce, vt omnes intelligant, quàm proteruè ac impudenter improbi Duellatores Regis & Procerum authoritatem neglexerint.

HENRICI IV.
Edictum in Duella.

A. D. 1602. Blesijs.

HEnricus Dei fauore Optimi, Maximi, Frãciæ atque Nauarræ moderator, omnibus lucis vsuram habentibus & habituris salutem. Cùm detestabili ac perniciosâ huius ætatis corruptelâ opinio quædã in Populo Gallicano vnà cum seculis inueterauerit, atque in Magnatum præsertim, & bellicosi cuiusque viri mentem vsus quidam, seu potiùs abusus irrepserit; quo, vbi notam infamiæ quãdam, aut iniuriam grauiorem sibi illatam esse suspicantur, sui esse credunt iuris eum ad singu-

larem accersire pugnam, à quo sibi vulnus aliquod excepisse videntur: Cùm, inquam, paucis abhinc annis ex hac immēsa omnium malorum scaturigine innumera detrimenta & clades penè dicam inexpiabiles emanarint, atque in Franciæ caput redundarint; tandem ecce, licèt serò sapientes, diuiniore numinis afflatu perculsi, satius deinceps, purpuram, sceptrum, coronam, & quælibet Regiæ Maiestatis insignia deponere, quàm huius execrandi facinoris punitionem procrastinare, aut illud nullo suppliciorū metu, nulla legum nostrarum seueritate comprimere, iudicamus. Enimuerò tametsi flagitium hoc supremæ Maiestati tam graui odio sit, quàm quod maxime (ecquis enim nescit diuinis legibus cautum esse, ne quis vltionem augustissimæ Triadi præripiat, nec quis fœdissima homicidij labe suam mentem obliniat atque conspurcet?) tamen nihilominùs diuinum hoc institutum tanto despicatui atque ludibrio apud homines despicatissimos & desperatissimos habetur in præsentia, vt vir nobilitate maiorum insignis leuem quandam suæ dignitati impressam maculam autumans, se omnis inanem esse honoris & gloriæ fateatur, si Christianæ constitutionis, atque diuini

mandati obseruator impia Duellorum discrimina reformidet. Accedit quòd nostræ authoritati regiæ caligo teterrima offunditur ab ijs, qui locum intra nostræ ditionis terminos sibi ad illud certamen conficiendum seligere nobis inconsultis non dubitant, sibiq; ipsis Iudices sedere, huic amentissimæ temeritati solũ honoris tuendi desiderium prætendentes, illibatum cuius decorem ac intemeratum nemo non contaminat, nisi qui se non sibi solùm, sed etiam, atque adeò multò potiùs omnibus sui principis statutis & patriæ legibus tuendis natum esse lubens agnouerit. Quibus ita positis, vt eorum nihil prætermittatur, quæ ad incrementum & decus nostræ nobilitatis, à qua firmissimos nostræ Maiestatis neruos pendere nouimus, poterunt inseruire, quæq; fœdissimas tanti piaculi sordes nobis forsan impressas abstergere valebunt, atque iustissimis multorum singulari pietate insignium parentum querelis satisfacere, qui in suos probè animati liberos, verentur, ne ipsi Iuuenili quadam temeritate impulsi, in illud certaminis genus corruant præcipites, ex quo pauci admodùm, imò nulli hactenus emergere visi sunt, nisi honore, gloriâ, & salute mulctati: His, inquam, de caussis suam illustrissimis

Principibus imperij Gallicani rogatis sententiam, aliisque grauissimis nostri Consistorij viris, hoc edicto omni exceptione maiori pronuntiauimus, iussimus, decreuimus; quin & pronũciamus, iubemus, decernimus, primũ vt homines quique nobili genere oriũdi deinceps quasi arctissimo necessitudinis vinculo connexi, vt gẽtiles decet, atque eiusdem curiæ participes, vitam viuant tranquillam, séque inuicem pro meritis, ætate & sapientiâ summo in honore habeant ex iuris legúmque nostrarum præscripto, nec vnquam discordent inter se aut dissideant, pro certo habentes & explorato, se alioquin apud nos malè semper audituros. Atque vt effrenem eorum audaciam coërceamus, qui alterum quomodocúmque ad singulare certamen siue in Francia, siue alienis in prouincijs inuitare non verentur, eos quidquid immani nequitiæ opponere possint, imminutæ Maiestatis accersitos, nec nõ & illos, qui se quoquomodo alieni Duelli fautores exhibent, placet absque vlla exceptione mulctari, & omnium inanes fieri commodorum, id flagitante nostrarum constitutionum seueritate, annitentibúsque authoritatis maximæ viris, quorum seueritati ac vigilantiæ subditarum nobis prouinciarum moderamina per-

misimus. Pœnâ non dissimili incogitatam eorum dementiam refrænari placet, qui temerè prouocanti morem temerè gerunt; itémque cæteros omnes, qui nullâ iniuriâ lacessiti alterum, vt ei subseruiant, ad Duellum proficiscentem comitantur. Iam verò, vt omnis querimoniarum occasio eis præripiatur, qui ad Monomachiam vocati, quiescunt nostræ Maiestatis tuendæ caussa: Mandamus nostris amātissimis cognatis, mlitiæ Franciæ Præfecto, quatuor Ptolemarchis, vbi vbi fuerint, atque legatis & ducibus publicis nostrarum ditionū, cuique sua in prouincia, vt simulatque per eos, qui sibi quid honoris detractum conqueruntur, aut per alios eius disceptationis non ignaros, certiores facti fuerint iniuriæ nōnullis eiusdem dignitatis, quam suprà memorauimus, illatæ; vtrosque disceptantes ad se quamprimùm aduocent, quibus authoritate nostra innixi certamen omne interdicent, metu mortis certissimæ proposito. Et postquàm ius vtriusque æqua lance perpensum fuerit, astantibus viris nobilitate, prudentiâ, atque spectato in rebus consilio insignibus, liceat ÿs ipsis omnem dirimere controuersiam, prout conscientiæ vis ac pondus tacitum suggesserit, omni potestate coram alÿs prouocan-

di ſublata. Horum autem diſceptatorum iudicio atque arbitratûi neminem refragari cautum volumus: cui ſtatuto aduerſantes noſtra digniſsimos maleuolentiâ, atque cùm noſtro comitatu, tum ſua patria exterminandos, ſeu acerbioris ſupplicij cauſſa prò ſceleris atrocitate in carcerē detrudēdos perpetuum ſancimus; ex quo ante iuſtam purgationem educi nō poterūt quacūque de cauſſa, niſi morbo plurimùm ingraueſcente, & quidem acceptis vadibus notæ haùd inferioris. Et qui reus Monomachiæ deprehenſus fuerit, ſi ſe ex Iudicum aſpectū ſurripuerit, in eum manus violentæ afferātur vbiuis gentium, atque in ergaſtulum quocunque modo rapiatur, iſtud incaſſum vetante, aut intercedente quoquam. Quòd niſi reus illè potuerit acerſiri, ſaltem omnes eius facultates proſcribantur, atque haſtæ ſubiiciantur, nobis eas poſthac diligenter aſſeruaturis. Atque illos interim, qui noſtris obſequuti fuerint mandatis, nobis aduerſus omnium iniuriarum aut dedecorum maculas habemus commendatos.

Cætera, quæ ſapienter admodùm & moderatè, ſed nihil ad hanc facientia diſceptationem ſubſequuntur, prudens ſilentio inuoluo, atque extremā huius Decreti vobis haùd aſpernandam clauſulā in memoriā reuocabo.

Placet, inquit Rex sapiētissimus, *iudicium capitis, & extraordinarium fieri cōtra eorum, ceu Maiestatis imminutæ damnatorum, memoriam, qui Duelli sorte oppetiuerint post legitimam huius Edicti promulgationem. Ad cuius integram obseruationem Senatus Frāciæ supremos, atque alios inferiores Magistratus suam operam, curam & solicitudinem collocare iubemus. Ita conclusum, &c. Datum Blesijs, Mense Martio, anno reparatæ mortalium salutis sexcentesimo secundo supra millesimum, &, ab imperio nobis à Deo immortali concesso, 13.*

Recita Decretum eiusdem Regis, quo & superius confirmatur, & interdicitur vel Reginæ serenissimæ, omnibúsque Regij stemmatis Proceribus, ne authoritatē suam, qua regię maiestatis beneficio fruūtur, ad salutem vllius Duellatoris custodiendā interponant.

Edictum posterius Fontisbelle quæ ab Henr. iv. in Duella. A.C. 1609.

Henricus Dei gratia Francorum ac Celtiberorum rex, Francis omnibus, & eorum posteritati salutem. Reges maiores nostri, non secùs ac nos ipsi Constitutiones plurimas de vsu Duellorum abrogando sciuimus, &c. Datum mense Iunij, anno ad Romanæ Curiæ calculum 1609. & nostri imperij 20.

Iamne vides, bellua? iamne sentis, quæ sit Regis omnium, vt clementissimi, sic & iustissimi de tuo capite sententia? quæ sint illustrissimo

ſtriſſimorum Procerum, & virorum omni authoritate ſecundùm Principem maiorũ querelæ improbitatis tuæ ? quo tandem animo hoc tibi ferendum cenſes ? Si te Magiſtratus inferiores æquè damnarent ac deteſtarentur, neque illis vlla excuſatione ſatisfacere poſſes: ſi benè auguror, ab oculis eorum & manibus aliquò concederes, in exilium rectà proficiſcerêris. Nunc Rex maximus, Rex ille, cuius mandatis non modò ciues ſemper aſſenſerũt, hoſtes obedierunt, ſed etiam venti procellæque quondam obſecundarunt, te ad mortem trahi imperat: huius tu neque Maieſtatem verebere, neque vim pertimeſces ? Iam, inquis, ad Senatum prouocaui, eius ſententiam expecto. O ſcelus ! ô portentum in vltimas terras exportandum ! quid eſt magiſtratus quoſuis, & ſcita, & leges humanas atque diuinas infringere, deludere, ſi hoc non eſt? Neſcis, inſane, neſcis, quot & quanta Regia maieſtas in ſe vna complectatur: Nomen tantũ Maieſtatis vſurpas, quid ipſa valeat, ignoras. At enim faxo ediſcas quamprimùm tuo periculo, quòd *Princeps ipſe eſt altiſsimi, atque omnipotentis Dei ſolida & expreſſa imago. Quòd inſtar ſacrilegij eſt de principali iudicio diſputare.* quòd denique, L.4.co de ſum. Tri.

--ὃν πόλις στήσειε, τοῦ δὲ χρὴ κλύειν Sophocl in
ϗ σμικρὰ, ϗ δίκαια, καὶ τ' ἀναντία. Antig.

hoc eſt, vt barbari ſcriptoris authoritatem ad vulgatæ legis amuſſim examinem, *quodcunque principi*, Chriſtiano, *placuit, id legis habere vigo-* Vlpian c. 1. de conſt. princ.

rem. Quæ cùm ita ſint, Iudices, quid hoc homine Regiarum legum violatore faciatis, aut ad quam ſpem tam perfidioſum, tam importunum patricidam reſeruetis? quem tot facinoribus coinquinatum neceſſe eſt aliquid eiuſmodi ſẽper moliri, in ſimili audacia pertinaciáque verſari, affines & conſanguineos, ſi fortè oppetat, eiuſdẽ flagitij deſiderio inflãmare. Adeo ſcitum illud eſt in ore ſapientium, quòd quemadmodum in palæſtra olim curſor defatigatus ſtadio cedere non conſueuerat, niſi faces candentes alteri committendo; ſic & in Francicis Duellis, qui hoſtili pugione, aut alio caſu vita coguntur excedere, alios vtique tædis eiuſdem furoris ac veſaniæ oblatis in idem diſcrimen, ſi poſſunt, coniiciunt. Quamquam, ne cui ſuſpicio Senatus à Regis placito diſſentientis relinquatur, Recita grauiſſimum Ordinis huiuſce ſapientiſſimi Conſultum, quo, referente Procuratore Catholico, ante paucos menſes in hac Franciæ curia principe facto, & paulò pòſt in cõpitis & viis publicis promulgato ſancitum eſt, vt Duellorum accuſati, carcere, qui eſt in inſula palatij, per Accenſos publicos, Reciperatores Prætorianos, vigilum Præfectum, aut eius ſpiculatores, Hoſpitij, Inſulæ, Comitis ſtabuli Prætores, Latrũculatorem, & alios Magiſtratus quoſuis includantur, eas quamprimùm ſubituri pœnas, quibus immane iſtud flagitium videbitur poſſe coërceri. Recita, inquam, ſed ipſiſſima dictione ac idio-

Lucret. li. 2. & Ad Her. l. 4. & Herod. in Vrania.

te(ne quid subterfugere voluisse, aut obscurare immutatâ lingua iudicer) quo à Principe Senatus Principis Præside Verduno maxima canoræ illius vocis, qua iustitia loquitur, contentione pronunciatum est: vt huius temporis atrocitatem, Duellatorúmque præfractam obstinationem recordemur, & memoriam ad doloris ex Monomachia emanantis cogitationem excitemus.

ARREST CONTRE LES Duels, Extraict des Registres de Parlement.

SVr la plainte faicte à la Cour par le Procureur General du Roy, du combat en Duel faict la nuict du vingtcinquieme de ce mois, entre quatre Gentilshômes, & autres semblables, contre les Edicts & Arrests, la suppliant y pourueoir à la descharge de la conscience du Roy, & Royne Regente, à ce que pareils crimes si frequents cessent, la matiere mise en deliberation, Ladicte Cour a faict & faict iteratiues inhibitions & defenses à toutes personnes se prouocquer, battre en duel, rencontre, ou autrement contreuenir à l'Edict des duels, à peine d'estre punis comme criminels de leze Maiesté diuine & humaine: & si aucunes contrauentions à l'aduenir sont fai-

ctes en ceste ville & fauxbourgs, à l'instant sans decret ny ordonnance de Iustice, à la requeste du Procureur General du Roy, les coulpables seront pris & constituez prisonniers en la Conciergerie du Palais tant par les Huißiers de ladicte Cour, Commissaires du Chastelet, qui en auront cognoissance, que par le Preuost de la Conestablie, Lieutenant de robe-courte, Preuost de l'Isle, Cheualier du guet, leurs Lieutenans & Archers, ausquels, à peine d'en respondre en leur nom, enioint incontinent en faire la capture: pour ce faire, si besoin est, proceder à l'ouuerture des maisons & lieux où seront retirez, faire procés verbaux de ce qu'ils auront faict. Outre lesdits Huißiers, Commissaires, Preuosts, & Lieutenans, informeront & rapporteront, tant les informations, que eux, & ledit Cheualier du guet, leurs procés verbaux, par deuers la Cour, pour à l'aduenir sans information sur la notorieté estre decreté prise de corps contre les absents, en vertu duquel à faute de les pouuoir apprehender, leurs biens serõt saisis, & adiournez à trois briefs iours consecutifs l'vn à l'autre, & sur iceux defauts dõnez au Procureur General du Roy, pour en estre le profit adiugé sans autre forme ne figure de

procés dans huictaine aprés le crime commis. Faict ladicte Cour tres expresses inhibitions & defenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, fauoriser, assister, retirer, ne permettre les coulpables en leurs maisons, hostels, & chasteaux; ains si aucuns s'y veulent retirer, leur enioint les en faire sortir, & rendre à Iustice, sur les peines susdites, & de razement & demolitions des lieux qui auront seruy de retraitte. A (suiuãt la declaratiõ du Roy, & Arrest sur icelle) cassé & reuocqué comme nulles, les procedures, si aucunes pour lesdits duels & combats sont faictes par le Preuost de l'Hostel & ses Lieutenans. Ordonne, que nonobstant icelles, tant le Procureur General du Roy, que parties interessees seront receües à la poursuite de la reparation publique & interest ciuil: Et pour l'execution du present arrest, enioint ausdits Preuost, Lieutenãts, & Cheualier du guet, de iour & de nuict marcher par la ville auec leurs archers, & les Huissiers & Commissaires se faire assister, quand besoin sera, des sergens du Chastelet, qui à ceste fin seront en nõbre suffisant aux barrieres, & si tost qu'ils seront requis, accompagneront lesdits Huissiers & Commissaires, & si besoin est, pour que la

force demeure au Roy & à la Iustice, les bourgeois & habitans à la premiere interpellation qui leur sera faicte, seront tenus donner confort & ayde aux officiers & ministres de Iustice, ausquels pour chacune capture des contreuenans, a dés à present taxé & ordonné la somme de vingtcinq escus à prendre sur la recepte des amendes de ladicte Cour, sauf à ordonner de plus grand somme sur les biens des coulpables, par preference à tous autres. A exhorté & exhorte tous Archeuesques, Euesques, & Prelats de ce ressort, pourueoir à ce que suiuāt les saincts decrets, les corps morts en duel & combats, n'ayent sepulture en terre saincte. Et à ce que le present arrest soit notoire, sera publié à son de trompe, & affiché aux lieux accoustumez. Faict en Parlement le 27. Ianuier 1614.

NÆ, sim longus licet, P. C. ad Senatus grauissimi authoritatē, Ludouici XIII. in quem profectò se prima Henrici parentis Optimi iuuenta & mores sanctissimi optimo iure (πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς ἀρετῆς πατρικῆς κληρονομεῖν) penitùs transfuderunt, aggregare placet effatum, quo Gallicus ille Hercules (quidni Hercule maiorem dico?) non geminos tantùm in cunis dracones, sed ex ephebis simul, atque Matris Reginæ augustissimæ tutela excedés,

Isocrat. ad Demon.

V. Paneg. Nazar. Const. Aug. dict.

habitis in Principe Senatu orbis Francici comitiis, tria immanissima & monstrosissima portenta suæ prouidentiæ iaculis confossa gloriosissimè prostrauit. Alcidem igitur Gallicanum, solum hoc monstris teterrimis liberantem; Christianum Apollinem insidiantes patriæ matri serpentes elidentem, ac oracula enunciantem nobis perutilia, de caussa præsenti, dùm licet, audiamus.

ENVNCIATIO REGIS SEV Declaratio in Edicta Pacificationis, Duellorum, conflictuum, occursationum: Iurisiurandi, execrationum, &c.

AGè verò neque Pontifices Romani sua peregrinis dictionibus enũciari mysteria; Neque Quiritiũ magistratus cuiquam in Senatum nisi Latinè dicturo aditum patere; Neque M. Cato Grecę linguę cęteróqui peritissimus Athenis Atheniẽsi more, à ciue Romano verba fieri; neque Tiber. Cęsar aut Monopoliũ sine præfatione vsurpari, aut militẽ à Prætore sentẽtiam rogatum Græcè, quamuis Græcus esset, respondere; Neque Othomanni Turcarum Imperatores, nisi cùm de aliqua re mentiuntur, aut fraudem alteri capitalem parãt, alienâ linguâ quemquam alloqui oportere vtile ac honestum censuerunt: Neque igitur Gallorum moderator in Gallia statuta & sanctiones grauissimas populo Gallicano & vi-

L. Viu. de ver. fid. l. 2.
Valerius. Maxi. l. 2. c. 1.
Plutar. in Caton.
Sueton in Tiber. ca. 71.
Bembus l 4. histor. Veneta.

ris præſertim militaribus, (queis vernaculà ſolùm & domeſtica lingua placet) integrè ſanctéque pronuncians, alieno idiomate videbitur inducendus.

DECLARATION DV ROY ſur les Duels, combats & rencontres, &c.

LOVYS Par la grace de Dieu Roy de France, & de Nauarre, A tous ceux qui ces preſentes lettres verront, ſalut, &c. Et d'autant que l'inexecution de l'Edict fait par le feu Roy noſtre ſeigneur & pere pour les Duelz, Combats & rencontres, & depuis par nous, la deſobeiſſance qui eſt rendue par pluſieurs de nos ſubiects, au meſpris de noſtre auctorité, eſt cauſe de grands deſordres & confuſions qui offenſent Dieu grandement, lequel ſe pourroit irriter, & deſployer les fleaux de ſon ire ſur nous & ſur noſtre Eſtat, s'il n'y eſtoit par nous pourueu: Nous voulons & ordonnons que tous leſdits Edicts, ordonnances & declarations faites par ledit feu Roy & par nous, pour raiſon deſdits Duels, Combats & rencontres, ſoient à l'aduenir inuiolablement entretenus, gardez & obſeruez ſelon leur forme & teneur: ſans que ceux qui y contreuiendront cy apres puiſſent trouuer ny eſperer en nous aucune grace, ſous quelque excuſe,

excuse, pretexte, occasion ou consideration que ce soit. Enioignons à tous nos Officiers de proceder contre les contreuenans selon la rigueur d'iceux, sans exception de personnes quelsconques : & à nos Procureurs generaux & leurs substituts, d'en faire toutes poursuittes requises & necessaires, &c.

Car tel est nostre plaisir. En tesmoin dequoy nous auons faict mettre, & apposer nostre seel.

Donné à Paris, le premier iour d'Octobre, l'an de grace, mil six cens quatorze.

Et de nostre Regne le cinquiéme.

Signé,

LOVYS.

Par le ROY estant en son Conseil.

AVdiſtis, Iudices, quæ ad Monomachiam è Galliæ finibus penitùs exterminãdam, Henrico IV; & qui eum in regni moderamine excepit, Ludouico; Francis Magnatibus; & orbis terræ ſanctiſsimo grauiſsimóque conſilio placuerunt. Audiſtis, quid Principes ſuorum ſubditorum amantiſsimi hac in cauſſa ſeuerè religioſéq; obſeruandum ſanciuerũt; quid θεοὶ βουλαῖοι, conſiliarij, inquam, Proceres in tanto támque periculoſo Nobilitatis Gallicanæ diſcrimine ſuaſerunt; quid ſapientiſsi-

mi Astrææ custodes ad istum animi morbum inueteratum iam, & in dies altiùs radices agẽtem & propagantem persanandum adhiberi voluerunt: Sed, ô tempora! ô mores! Reges maximi, qui & Reip. gubernacula olim tenuerunt, & hodie tenent, famam, bona, lucis vsuram Duellatoribus eripiendam statuunt: Optimates Regum mandato astipulantur: Senatus id æquissimum esse proclamat: vos, Auditores, intelligitis: Iudices videtis; & tamẽ Rei Duellorum viuunt. viuunt? immò verò se veniam consequuturos prædicant: magna suæ gloriæ & nomini ornamenta accessisse gloriantur: solas imbelles animas à maximis facinoribus perficiendis proposito Regis, Procerum, & Senatus Edicto deterreri posse palam dictitant. Sed enim, Iudices, expergiscimini aliquando, & capessite Rempub., cogitatéque Nomen vestrum tãdem odio atque acerbitati non solùm Gallicano populo, sed & Nationibus exteris futurum, si hoc perditorum hominum piaculum tam atrox, tam nefarium, tam omni humanitate, lege, & consuetudine remotum vestris sententiis impunitum discesserit. Scitote sic omnes arbitrari, præsertim cùm hæc omnino fama de pernicioso nostrorum hominum furore & dementia percrebuerit; Non eorum solùm esse flagitium, qui admiserint, sed & omnium, qui illud non reprimentes sine dubio approbarunt. Omnes hoc loco Franci nobiles & qui adsunt, & qui vbicunque sunt, vestram seueritatem

desiderant, vestram fidem implorant, vestrum præsidium obtestantur: omnem suam famam, fortitudinem, nobilitatem denique in vestris hodiernis sententiis versari arbitrātur: animo haùd insano præcipientes, confirmatos, (quod immortalis Deus auertat) per vestram authoritatem lanistas flagitiosos & gladiatores ex fæce populi exortos, sibi in posterum diem certaminis & pugnæ pro temetario arbitratu significaturos. Quæ imminentia toti Reipublicę discrimina, quas veneni vires atrocissimas modò per capita paucorum grassantis, sed breui, nisi occurratur, per omne Regni corpus demanaturi, si vindicādas esse, vt reor, statueritis; credite profectò Deū Optimum, Maximū quàm liberaliter vestra hæc iudicia pensaturum, quibus infinitas animas tot Frácorum miserabiliter nunc in mutuam perniciem ruētium ex impuris Orci faucibus ereptas, suæque gloriæ & ditioni propagandæ reseruatas animaduertet. Credite HENRICVM IV. inter superos recumbentem, & suauissimi nectaris poculo sitim explentem inexplebili auiditate, cum æternis beatarum mentium phalangibus vobis congratulaturum, si per vos iucundissimum suorum nobilium consortium sibi tandem restitui intelligat, quos alioqui velut deuotas victimas ad execrādam mortem currentes in Tartareos specus post vitam hanc descensuros apertè præsagiebat. Credite LVDOVICVM XIII. cuius in tenera ætate non tam spem & indo-

lem, quàm prematuram virtutem suspicimus, & prudentiam singularem, quâ motos non ita pridè in Gallia valuit componere fluctus: quem heroïcâ dignitate, fortis animi significatione, religionis suíque imperii dilatandi studio Parentem consummatissimæ laudis referentem vereri debemus, benignè vobiscum & regiâ munificentiâ acturum, si per vestram seueritatem & æquissima iudicia generosos milites & duces belli peritissimos sibi reseruari intelligat: quorum dextera & armis, velut *immortalium* comitatu, suam Maiestatem circumseptam aduertens, cũ immanissimo Turca de Imperii magnitudine decertare audeat, & multarum preliator palmarum, paternorúmque triumphorum memor, felicibus Diui Ludouici auspiciis, gentes feritate barbaras, locis infinitas, & multitudine innumerabiles ad suorum armorum strepitum possit concutere, ac demùm tot victorias consequi bellicas, quot oræ sunt, partésque terrarum. Credite Regio stemmati propiores, & Reipublicæ Gallicanæ deuinctiores Proceres, Illustrissimum Condæum Principem; Suessionensem magnę spei Comitem; Duces, Niuernensem & Monbasonium, hunc Achillem, illum Gallorum Hectorem; Guysios duo bellorum fulmina; Maynæum & Spernonium, prudentiâ militari incomparabiles: Magnatésque cæteros, pro confirmandis suis desideriis & mandatis vobis semper obsecundaturos. Credite deniquc idem facturas Curias totius Franciæ

Cal. Rhodigin. Lection. antiqu. l. 25. cap. 1.

celeberrimas pro Senatoriorum decretorum authoritate seruata: Municipales omnes pro salute defensa: suspirãtes adultas virgines pro furore impudẽtium procorum represso: coniuges pro maritis, filios pro parentibus à funesto certamine liberatis: Nobiliores familias & penates publicos pro impendenti teterrimo genere vastitatis propulsato gratias vobis immortales esse reddituros. Equidem, Iudices, vt liberè animi sensa nunc aperiam, si res aliter acciderit, si qua vis, si quæ mens læua parricidas nostros de vestra seueritate eripuerit; quod neque horreo, neque vllum sanæ mentis vnquam tentaturum coniicio: sed si in hoc me ratio fefellerit; licèt omnes terrores periculáque mihi impendere præuideam, per me nihilosecius tota Francia ante hunc Principẽ Senatum semel, atque iterùm, ac sæpiùs hanc ipsam caussam non minori fide retexentem ius suum sine dubio recuperabit. Sed per Astræam ipsam, Iudices, per integrã sanctitatem, quæ vos à corruptela munerum, & ab omni auaritiæ suspicione intactos integrósque hactenus præstitit: per omnia, quæ vobis charissima sunt in vita, prouidete iterùm atque iterùm, ne in hoc lectissimo consilio tantum dedecus committatur, vt quos Iudices ipsa Respub. probauit, atque huic quæstioni præposuit, eosdem, Duellatoribus absolutis, non cerâ, sed cœno oblitos ambulare videamus. Comprimite potiùs ac contundite monstrum istud inusitati furoris: Gallorum mu-

crones in Gallicam rempublicam districtos retũdite: turbines & procellas ciuium dispellite: homines mente plusquam gladiatoriâ, & siti Gallicani cruoris inexplebili æstuantes extinguite, carnifices quodlibet scelus & inauditã crudelitatem anhelãtes compescite: legum ac institutorum omnium perfidos contemptores, animalia ex omnium scelerum importunitate, & omnium flagitiorum impuritate concreta è medio vestrum eripite. Denique vos oro atque obtestor, volui dicere, Hominis dignitas, Patriæ leges, Naturæ iura, Deus vel Iudicum ipsorum Iudex oculatissimus, Concilia, Pontifices, Episcopi, omnes Ecclesiæ Patres, Imperatores, Toparchæ, Reges longinqui, proximi cum suis consiliis integerrimis imperant, obtestantúrque; Vt vestra Maiorúmque vestrorum de Duello Senatusconsulta vestris hodiernis sententiis confirmetis: Vt eorũ simul quos huius flagitii cõuictos in iudiciũ vobis adduxi, duos adhuc vitæ superstites quibuslibet nobilitatis & officiorum insignibus destitutos publico tortori fœdissimo suplicii genere enecãdos permittatis: occisos denique cum duobus aliis eiusdem immanitatis conscios, & ipso certaminis fato repẽtinâ morte peremptos, per plateas publicas & compita ab ipsis carnificibus trahi velitis, iubeatis.

DIXI.



PRO DVELLIS ORATIO.

MAXIME vellem, Iudices, vt Gallicanum hoc imperium aut perpetuam maiorum felicitatem obtinere, aut post calamitatem acceptam, illius autores æquissimè mulctando pristi-m decus ac splendorem posset recupe-re. Quod si quæ Deum Opt. Max. sæ-às flagitaui, ea essem consecutus, non t homines dubio procul seculis antea-is à religione in Diuinitatem, obsequio Regem, concordiâ inter nos per scelera & cestos mores desciuissent. Non Hæretico-m alios, vt de Religione primùm loquar, Francia tolerassemus, passim Baptismum, empli caussâ, non esse canalem gratiæ, non se vndam salutarem, non deriuare in nos hristi merita; sed significationem duntaxat lutis esse proclamantes: alios, hominem antò sceleratiorem, tantò gratiæ vicinio-m esse affirmantes: alios, omnia peccata se æqualia percrepantes; sed ita (ne Zeno asi maiorum gentium Stoicus reuiuiscat) Deo Iudice ponderentur: alios, mysticum ud Solomonis Canticum, quod vt manna conditum, vt Paradisum animæ, vt opipa-s in Christo delicias veri Catholici admi-

Cal. Inst. l. 4. c. 15. n. 2 & 10.

Lut. serm. de pisc.

Petr. Calu. in Antid. Conc. Trident.

Castalio præfat. in Cantica.

rantur, nihilo pluris quàm de amicula cantilenam, & cum pedissequis aulæ colloquium amatorium facientes: alios, Vnigenam Dei præpotentis, cùm orans in horto sudoribus aquæ manaret & sanguinis, sensu damnationis æternæ totùm cohorruisse; vocémque, malum! sine spiritu, sine ratione, doloris impetu repentinam edidisse, eámque vt non satis meditatam citò castigasse, personantes: alios, offirmato in mendaciis & execrationibus animo sustinentes eundem in cruce (prò nefas!) Gehennam gustauisse, vocem desperationis emisisse, non aliter affectum, quàm si pereundum ei foret internecione sempiternâ. Omnes omninò hæreticæ factionis magistellos Ecclesiæ, Conciliis, Cathedris, Patribus, Imperiis, Populis, Legibus, Academiis, Historiis aduersantes, omnia vetustatis & sanctitatis vestigia præcidentes, conculcantes, delumbentes: verbo dicam, quicquid sua ex officina non prodierit, illud ab omnibus phrenetico decreto, tanquam incultum & horribile consputandum per summam impudentiam asseuerantes, tam longo temporum interuallo, si tuta ac vtilia Franciæ remedia suppeterent, non despectassemus. Namque

Marlor. in Math. 26. & Calu. in Harm. Euang.

Brent. in Luc. part. 2. Gom.

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deûm Stygiis sese extulit vndis.

Virg. 2. æn.

Iam verò si Deus ille, qui sanctissimè colendus à nobis, vt Regi per omnia obtemperemus, & alteri à se domino seruiamus, im-

Ad Rom. c. 13. v. 1. Ps. 81. v. 6.

erat, meis satisfecisset votis ac precibus quàm iustis & circumspectis, hîc ego non isputo) dudum mehercule formidabili dexerâ rebelles quamplurimos contumacésque duersus regium dominatum spiritus contriuisset. Cur etenim quisquam tam sceleraus, tam vecors, tam impudens atque fuiosus existet, qui à fide & obsequio in teterimum perduellionis crimen deflectere auus Ludouico non libenter morem gerat? Qui nouis conciliabulis coitionéque pericuosissimâ confirmatas ab Henrico Regis maimi parente maximo vires collidat, bellísque ciuilibus concutiat? Sicut enim lapides Scyro insula feruntur, quandiu integri beéque compacti permanebunt, vtique in Oceano fluctuare, aquarum dorsum radere desuper, & summis fluctibus tonsis emicare; immergi autem, & in imum decidere nusquam redituri, si semel dissoluti fuerint atque comminuti: Ita Respub. dum lęta forebunt alcedonia, suósque in summa tranquillitate atque malacia concordantes tuebuntur alumnos, omnem hyemis importunissimæ sæuitiam frangere, & ex naufragiis in se aliunde paratis semper enatare; concidere autem, & quàm ocyssimè collabi, si discordiis ciuilibus fluitent in alto, atque tempestatibus seditionum à se inuicem semel distrahantur, literis & monimentis tradiderunt sapientes. Ex priuatis porrò, ac inter paucos excitatis dimicationibus, quas Duella

Plin. l. 36. c. 17.

Nazar. Panegyr. Constant. Alc. embl. 40.

vocant, publicas interdum ſuſcitari diſſenſiones, caſque ϖεϱῶτα ὀλίγας, vt ait vates, *Homer. Iliad. δ.* ἀυτὰρ ἔπειτα ὀυρανῷ ςηρίζουσας κάρη norunt, qui vaſta ingentiáque flumina, & progreſſu tumefacta ſuam ad riuulos exiléſque fonticulos originem referre norunt. *Cic. 5. de Fin.* Hæc itaque, Accuſator diſertiſſime, dum grauiter & copiosè concionabaris, agitanti mihi, & cum animo meo tot calamitatum memoriam recenſenti, tantus dolor atque indignatio inhæſit, vt ipſe quodammodò mihi viſus ſim in tuam deſcendere aſſeuerationem, tibíque, ceu autori ac principi ſententiæ perutiliſſimæ ſuffragari. Quid enim? hæreſes tibi non arrident? illas ſanguine viperino cautiùs abhorreo. Perduelles ac diſcidiorum cùm publicorum tùm priuatorum architectos odiſti? eos ego deteſtor, execror, horreo. Vides, quàm planè tibi aſſentior, quàm non inuitus tibi manus do, quàm libenter tuæ orationi & querimoniæ ſubſcribo. Quæ reiicis, auerſor: quæ ſequeris, dùm mihi credo, vt tu tibi, amplector. Sed quando prudentiæ meæ diffiſus, aliunde quærere incipio adiumenta ſani conſilij; memoriáque repeto quid ſummi Franciæ Magiſtratus iſtis exitioſis prodigiis ac penè huius imperij peſtibus ætate ſuperiori appoſuerint, hærere in ſalebra, vt aiunt, & ex mea priori concluſione omninò deiici ac diſturbari mihi videor. *Eraſm. Chil. 4. cent 3. ad 70.* Ecce Regina ſereniſſima, quam, vt Cynoſuram aut Helicen Gallicanis nauiculatoribus perneceſſariam, Regiæ

[aiestatis dignitati, Reipub. tranquillitati, ngulorum securitati astra profectò concesrunt; homines non ita pridem, saluã quidem empub. esse percupiẽtes, sed partim cõsiliis ntelligo quid loquar) partim studiis à com- iuni vtilitate aberrantes; intellexit publico ı otio manũ facere, copias parare, multitu- inẽ militũ aduocare, cogere, armare, instrue- :. Quid? eámne igitur grauius quid aut as- erius in ciuilis secessionis autores pro ma- nitudine doloris cõsciscere voluisse animad- ertimus? Imò verò cõuocatis per summã sa- ientiã secretioris Cõsistorij, atque Senatus mplissimi suffragiis, Heroina prudentissima uriores filios nõ credidit ad obsequiũ stylo ecretorio esse cogẽdos, neque satis è Repub. sse duxit, homines, non pusilli animi, neque ontẽnendę autoritatis, ad vltimã necessitatẽ digendos: effecítque cautione sagacissimâ, t qui nimiam seueritatem exosi maxima in- ertrimenta felicitati publicæ inferrę potuis- ent, ij laudabili Reginæ benignitate & per- picientiâ illecti voluerint derepentè cum ea n vnam eandémque consensionem commu- iis tranquillitatis conspirare. Ita effectum st, vt illa princeps consilio ac moderatione uâ impendentibus totius Galliæ malis egre- giè medicata, non iam veriùs mater Ludouici XIII. quàm parens patriæ, & optima Gallo- um vniuersorum mater nominari iure opti- mo possit. Atque vtinam Ecclesiæ Catholi- cæ gubernatores ętate parentum eadem pru-

dentiâ, iisdem consiliis hominum nouis ac perniciosis opinionibus imbutorum sodalitates importunissimas dispellere, dissipare conati essent. Non tantum sanè Christiani cruoris haustum fuisset sexaginta plus minùs annis, abs quo de fide non verbo Dei, sed ferro flammáque cœpta dimicatio fuit: nostrorum cadaueribus pinguiores agri facti non essent: non templa direpta, non religiosi homines excarnificati, non statuæ confractæ, non maria nostris cædibus decolorata, non alia, quæ horret ac refugit animus recensere, exitium Franciæ imò & Flandriæ iuxtà intulissent propè dicam sempiternum. Quòd si pondera rationum & momenta me hac in parte deficerent, standum esse nihilominùs Henrici Magni iudicio assererem, qui, cùm audiret Solis cursum non recto per cœlum meatu ferri, sed obliquo, leni, atque moderato, atque ita orbis vniuersi machinā æquabili temperie & salutari calefacere: imò & Iouem ipsum Æternum atque Maximū nequaquam sua in mortalium genus, quoties peccant, semper evibrare fulmina; se quidpiam dignum vtroque omnium luminum moderatore, illo in sidera, hoc in cœlum atque terras dominante, effecturum censuit, si aliquando in suorum subditorum peccatis conniuens obliquis, vt ita dicam, voluntatibus eorum sese accommodaret. Audiendos quoque dicerem viros in Ecclesia principes, Augustinum; qui dum longè serperet Donatistarum hæresis, supremum Pontificem &

In epist. ad Procul.

roconsulem Africæ sæpiùs obtestatus est,vt orum hominum in religione factiosorum eruicaciam tametsi fustuario dignissimam, quâ moderatione potiùs, mollibúsque fomentis compescere, quàm formidabili Magistratus gladio resecare conniterentur: Marnum,qui ante annos mille & ducentos scriptis inuectus est in eos, qui Priscillianum sectæ ac sodalitij detestabilis autorem supplicio extremo cum quibusdam eius fautoribus nulctare ausi fuerant: Ambrosium denique, Brunonem Archiepiscopum, Seuerum Sulitium, omnem propè dixerim antiquitatem; quæ secum reputans, quòd *Seu. Sulpit.in Histor.*

----Dijs proximus ille est,
Quem ratio non ira mouet; *Claudiã. in Man. Theod. Imp.*

haùd minis & terroribus, sed beneficiis, xemplis, obtestationibus ingenia Hæreticoum curari oportere arbitrata est. Quorsum æc instituta disputatio, aut quid ad concertationem singularem? Nimirum vt in hac Duellorum caussa maneat nonnullas esse petes, quæ multò ex remediis acriùs sæuiunt, sse & morbos, qui cùm ignem, & ferrum,& hirurgiam repudient, mollioribus interdum nedicamentis atque mitiori diæta resoluunur; Nósque idcircò malè apud cæteras genes (quod absit) audituros, si cognitis iis,quæ Scylla & Charybdis nostri alienique nauigij uerunt, impingere ac deferri in easdem velinus: si quæ Regina, & summi Franciæ Magistratus in dissidiis publicis; itémque olim *Nazar.in Paneg. Constant. Mag.*

viri de nostra fide optimè meriti difficillimis religionis Christianæ temporibus tutò fieri non posse censuerunt, ea in leuioribus hominum quorundam minùs quietorum offensis adhiberi oportere cum Reipub. bono conclamemus. Monomachiâ non diffiteor viros spectatissimæ virtutis atque familiæ nobilissimæ huic regno fuisse aliquando sublatos: Non inficior leges ex innumeris aliquã multas, hominésque magni nominis & autoritatis nonnullos Duellorum vsum improbasse interdum, & pro temporum opportunitate grauiter esse insectatos. Atque vtinam quàm dictu facile, tam illa in prono & procliui esset abrogare. Sed cùm seculis prioribus tot commemoratis ab accusatore Senatusconsultis, tot Ecclesiæ constitutionibus, tot Regum Edictis, tot pœnis propositis effectum aliud nihil fuerit, nisi vt ab hominũ conspectu, vrbiúmque ac oppidorum celebritate in agrorum angulos semotáque nemora frequentior atque acrior decertandi ratio progrederetur; cur ad morbum insanabilem ac propè desperatum, nisi cum eo agatur benignissimè, atrocissima medicamina, ferrum ignésque applicare volumus, aërem sine dubio verberaturi, surdis cantaturi, ne hylum quidem profecturi? Hanc ego caussam, Iudices, quò minùs seuera & aspera iudicia in Duellatores faciatis, in primis magnam esse iudicaui. Sed quoniam animaduerto omnem accusatoris Orationem in duas

iissam esse partes, quarum alterâ pœnas de
s in hoc iudicium adductis sumendas esse
auissimas; alterâ omnem Duellorum vsum
llendum, suppliciísque coercendum exqui-
issimis esse contendit: idcircò, vt omnes in-
ligant quàm integrè incorruptéque ad hăc
ussam propugnandam iussu vestro accesse-
n, antequam prouehar vlteriùs, dicam as-
ıeranter à me in hac quæstione & secundo
cendi loco publicæ caussæ potiùs, quàm
iuatæ; defensionis veterum, & eorum, quæ
ulta in dies contingere possunt, Duellorum,
ıàm hodiernæ Monomachiæ partes esse su-
eptas. Cùm enim eos, qui de capite, de fa-
a, de fortunis omnibus hoc in iudicio pe-
litantur, sine caussa, sine bono iure, nullo
egis, aut Magistratuum permissu in media
be, quasi arena, gladiatorio more concur-
sse probatum fuerit, ac testibus confirma-
m; meritò ego vitio mentis laborare iudi-
r, si facinus tam inconsultum, tam à com-
uni viuendi more abhorrens coram Iudici-
ıs subactę prudentiæ ac sanctimoniæ singu-
ris fouere, atque ab omni omninò pœna
ndicare aggrediar. Amentiæ toti regno
erniciosissimæ velificari dicendo non pos-
ım: quod si possem, ita me Deus amet, nol-
m. Sed cùm totam eius concionem in vsu
Ionomachiæ penitus abrogădo magis, quàm
ı reis, de quibus hîc laboratur, condemnan-
is occupatam fuisse considero: vósque ipsos
odierno Senatusconsulto vel ad Duellorum

licentiam è Gallia omninò eiiciendam, vel ad impunitatem eorundem, dum ritè suscipiantur, in posterum vnicuique faciendam paratos esse in animo meo frequento: Ideo mihi consilium est, peruagatum vulgi sermonem, quo Duella omne genus, quasi diuinis ac humanis legibus iampridem cõdemnata, tantoperè deprimũtur, ad iuris vtriusque amussim, quantũ in me fuerit, examinare, eúmque falsũ esse patefacere. Quod quò faciliùs assequar, primùm id, quod æquissimũ est, petam, vt nihil huc præiudicati afferatis: Deinde, vti me in hac caussa, dum accommodatam præsenti controuersiæ methodum, eámque non ex Rhetorum officinis & artibus ductam, sed ex abditis totius antiquitatis & veterum monimẽtorum penetralibus expromptam sequor, pro vestra consuetudine, hoc est, attentè benignéque audiatis.

Dabo Imperatorum summorum, & sapientissimorum hominum, & Regum maximorum authoritatem atque suffragia de certamine singulari: dabo Antistitum, & summorum Pontificum, & clarissimorum Iurisconsultorum, qui quondam huic quæstioni præfuerunt: dabo iudicium vniuersi Pop. Gallicani: dabo sanctissima decreta Senatus Parisiensis. Ego denique caussam sic agam, I v d., eiusmodi res ita confessas, ita testatas, ita magnas proferam, vt nemo à vobis per ius & æquitatem contendat vti Duellatores condemnetis, qui nempè consulta Regis Maiestate,

ſtate, aut ſummis Regni gubernatoribus,ad lutem tuendam publicam priuatámque ım hoſte manus conſe ruerint.

Communi rerum parenti Naturæ aduerſari cuntur, qui Duello dimicare non extimeunt. Oſtendam, Ivd; primùm, vt noſtra ec Oratio latiſſimè vagetur, & à priuata ıgularíque controuerſia ad vniuerſi generis ın explanandam conferatur; vtque vos qui ıditis, natura, & genere, & vniuerſa re conita de ſingulis rebus cognoſcere poſſitis: ıſtendam,inquam, paſſim in tota rerum vniːrſitate, niſi quas vocamus Monomachias, ltem congreſſus quamplurimos, & Monoıachiæ non pauca exemplaria deprehendi. um hæc, quaſi velitum inſtar, præmiſero, ım illud docebo, quod me pollicitum eſſe on ignoro, quódque maximè requiri intelliɔ, quicquid in hominum ſocietate iuris eſt, obis non mediocriter ſuffragari.

Primùm igitur illud erit, ex quo intelligi oſſit Accuſatorem non omnia vidiſſe (quod ımen haùd mirabitur, qui meminerit ne Soːm quidem ipſum mũdi oculum videre omnı) cùm ſe terrâ cœlóque, & cunctis rebus ıanimis adiuuantibus, Duelláque & diſcorıas omninò auerſantibus, ad accuſandum eſcendiſſe pronunciauit. Altiùs non ibo, vt ı perniciſſimis Cœlorum curſibus, ortu, ccaſu, morâ, receſſu, inſtitionibus, iactiıus, perpetuis conuerſionibus, & circumıectionibus contrariis Duella poſſe depre-

Ex Pto lom. de iud. aſtr. ex Cardan. Plin. l. 2. paſſim Saluſt. Bart. Hebd. l. 4. die.

hendi plurima commonefaciam. Incolas & habitatores cœli augustissimos, mentes volui dicere sempiternas, atque ab omni concretione materię separatas, in hanc pugnam singularem olim descendisse transilio. Transilio, inquam, exortum esse in cœlo prælium magnum, Duelloque abhinc sexcétos & septuaginta annos supra quinque millia duos inter Athletas fortissimos, alterum cæco fastu atque incredibili arrogantiâ concitatum, alterum partium diuinarum fautorem acerrimũ, inspectante Spirituum innumerabilium consessu, imò & tanti certaminis primíque Duellorum, quæ in memorias exiêrunt, stante arbitro rerum opifice ac moderatore dimicatum. Sileo, tribus annorum millibus & quadringentis, ab eo tempore, alterum (quis crederet?) Angelum in terras, annuente orbis molitore Deo, singulari Monomachiæ ineundæ cupiditate aduolasse, vbi Iacobum, hominum, qui vnquam fuerunt, quíque hodie sunt, propè dicam, optimum, ad Duellum vel reclamantem, atque suæ obtestationi maximũ fœderis, non belli, cum suo fratre iciendi desiderium obtendentem protraxit, atque cum eo à media nocte ad conticinium vel potiùs ad crepusculum matutinum luctatus est. Seriò, an ioco? Seriò meherclè. Cùm Iacobus, cui ab eo die Israelis nomen inditum ferunt, ex vulnere ea in concertatione per femur accepto, altero pede nutare, atque reliquo vitæ tempore grauiter visus fuerit claudicare. Se-

In Apoc. c. 12. v. 7.

Genes. c. 32. ad finem.

undam venerandæ Triadis Hypostasim è cœlo delapsam, humanáque formâ obductam um infensissimo generis hominum oppugnatore, & plurimarum palmarum vetere ac nobili gladiatore, ter iterato conflictu, fortissimè iuxtà & felicissimè (quid autem felicissimè Deo non succedit ?) congressum aperire supersedeo. Non dico portenti ac prodigij simile haùd esse, si nostrates armati faciunt, quod non nati solent: neque sapientem hominem hoc mirari oportere magna in Repub., quod in ipsis materni vteri, etiam numinis supremi concessu, fuit angustiis, vbi olim, etsi maioris mysterij velamentum esset, certè non discordes tantùm fratres sanctissimorum vatum ore clamat veritas, sed bellantes, sed Duello concertantes. Tamen habeo cœleste chirographum: possum sacram paginam putam putam inclamare. Ioannis Apocalypsim, cuius omnes apices sublime quiddam & magnificum sonare testatur Hieronymus; & sanctissimos Esdræ commentarios; & Hymnos, si vellem, attestarer, queis Ecclesia inanis ἀχαειοσύας, & plena veritatis, Vnigenæ Dei præpotentis & hominum seruatori debitum semper conatur exoluere, quia nunquam potest implere. *Mors & Vita Duello conflixère mirando, Dux vitæ mortuus regnat viuus.* Sed hæc, quæ neminem vestrûm latere arbitror, facilè taceri patiar. Facessant velim & inania Poetarum figmenta, qui Numinis, quod verè est, penitùs ignari, vt singularis congressus in-

Petrarch. Dial. 45.

Epist. ad Paul.

Genes. c. 25.

Ouid. 1. trist. el. 2. ex Hom. passim. Apollodor. l. 3. bibliot. Pier. Val. l. 53. c 15. ex Varr. In Cistell. & in Casin.

uentum ad Deos referrent; Palladem Marti, Dianam Veneri, Vulcanum Apollini, Palladi Mineruam, & Neptunum; omnem denique Numinum antiquariorum proluuiem, superos, inferos, maximos, medioxumos, minutos, patellarios, vt Plautinè loquar, alterum alteri Duellum multoties indixisse, commentis veritatem ipsam solùm adumbrantibus, in carminis dulcedine reliquêrunt. Hæc fabulosa, illa nimis ardua prudens missa facio. Venio ad Elementa, caussas, & primordia rerum omnium creatarum, è quibus aut Duella, aut quasdam Duellorum species educere non est operosum. Ecce prima occurrit suis in sese nutibus conglobata Tellus. Quid illa? Principium summa grauitate, remisso humore, siccitate magna celebratum. Mox Aër. Quid ille? singulari leuitate, humore maximo, remisso calore insignitur. Aqua succedit. Quid illa? mediocriter humida, valde ponderosa, maximè frigida. Restat ignis. Quid ille? multum siccitatis, plus leuitatis, plurimum caloris à summo rerum architecto consecutus est. Cur ita? scilicet vt Terra cum Aëre, Aqua cum Igni æterno quasi Duello prœliarentur. Hæc asseueratio mea si cui fortè à veterum iudicio vllomodo abhorrere videatur, acquiescat ille saltem in Doctorū Ægyptiorum authoritate, qui, vt Terræ maximam cum Duellis cognationem inesse confirmarent, Mathematicas disciplinas omninò eruditi, si quando bellatores duos pari conditione inter se ma-

Pier. Valer. Hierog. l. 16. c. 14. & 18

im conferentes, viciſsimque in mutuam
ꝛrniciem Duello concurrentes vellent effin-
ꝛre, Scorpium, quo Terram à Mathematicis
gnificari didicerant, quaſi mutuæ cædis, ſiue
Ionomachiæ hieroglyphicum, Crocodili
ꝛoximum, & eum ad certamen inuitantem
ꝛpinxerunt. Qui verò Dauidis, mortalium *Idē l. 38. c 25.*
iſcorum optimi, fidei & teſtimonio nihil de-
ahi, nihil derogari cupit, poterit ille Aquam
pugna ſingulari alienam exiſtimare? Siqui-
ꝛm magnus ille vates, vt ſe præcipites & in-
nos Goliadis & Sobochi aliorúmque Duel-
torum incurſus ope diuinâ præteruectum
æ poſteritati relinqueret, ait ſuam torren-
animam emerſiſſe, ſe Aquam pertranſiuiſſe *Pſal. 123.*
tolerabilem, Duellorum videlicet difficul-
tes & pericula, in quæ ab aduerſariis ſe cru-
ꝛliter aduocatum recordabatur. Sic & Troia-
ꝛs exules apud Maronem *tot fluctibus actos*, id *Virg. 7. Æn.*
t, clariſſimo ſui Hectoris, & Achillis Duel-
, patria eiectos,

Atra ſubegit hyems Italis ſuccedere terris:

Et paulò poſt, quaſi ſolis, quę Aquam ſi-
nificant, dictionibus Monomachiam poſſet
ꝛprimere vates,

Diluuio ex illo tot vaſta per æquora vecti
Diis ſedem exiguam patriis, littúſque precantur.

Venio ad Ignem, qui quâ ſemper fuiſſe cum *Ex Herodiano l. 1. vbi de Cōmodo: & 2. vbi de Pertinace: & 7. vbi de Alex. nece.*
Duellatoribus communione olim creditus eſt,
ꝛud Romanos & Gallos veteres Duellorum
nantiſſimos, (vt poſthac faciam apertum)
us bellatoribus ad aliquem conflictum inſi-

gnem abeuntibus vtrinque præferebatur: & Aruſpices rerum obſcurarum indagatores, cùm Hecuba face prægnans ignes ſibi videretur enixa iugales: & *Hom. Il.*

Cum iuxta genitorem adſtans Lauinia virgo
Viſa fuit longis comprendere crinibus ignem, *7. Æn.*
Atque omnē ornatum flammâ crepitāte cremari:

Haud cunctanter reſponderunt fore, vt ex illa oriturus eſſet Duellator inſignis (Paridem interpretor, quem cum Menelao congreſſum nemo neſcit) cuius auſis furialibus Troia tandem aliquando extingueretur: Hæc autem *Regales accenſa comas, accenſa coronam Inſignem gemmis*, augurio fuiſſe dicta eſt certiſſimo Duelli præclariſſimi, quo Turnus & Æneas non longo pòſt tempore depugnauerunt. Progrediar adhuc longiùs, liquidóque oſtendam Aquam & Ignem duo rerum omnium primordia celebratiſſima de ſummo in mortales imperio certamine ſingulari reuera quondam decertauiſſe. Cùm enim Perſæ veteres publicis ſupplicationibus præ ſe ferre ſoliti eſſent Ignem, quo alterum dignitate aut viribus præſtantiorem Deum experientiâ ſe agnouiſſe non meminerant; Aqua, cui diuinos exhibebat honores Ægyptus, Numen aliud ſibi anteponi quaſi ægrè ferens, iuſſit Ignem codicillis prouocatoriis ad Duellum ſtatim inuitari; qui iſtius certaminis cupidiſſimus, quàm qui maximè, Perſarum ob recentes victorias nimis fortè ſuperbientium humeris elatus in locum pugnæ aſſignatum derepentè accurrit.

11. Æn.

Suidas, & Herodot. l. 1. in fine. & Strabo l. 15. Lucianus in Ioue Tragœdo.

Illa verò sacrario augustissimo (Hydriam nuncupabant) foraminibus vndequaque, iísque cerâ bene obstructis ac oppilatis affabrè composito, à suis sacerdotibus per summam reuerentiam ac timorem inuecta, Ignémque ex improuiso aggressa, & cera nouo eius ardore liquata, ceu repentinis eluuionibus eum obruit, ac extinxit. Quare, vt hinc auguror, neque fortè augurium fallit, non aliam ob rem priscis temporibus Aqua & Igni positis in limine vxorem Caiam maritus Caius accipiebat, ac illa duo omnis congressus symbola certissima tangere vterque iubebatur, nisi vt (pace tua Varro dixerim, qui id esse factum scribis, vt se in communicationem & consociationem vtriusque fortunæ, secundæ & aduersæ venire ediscerent) Monomachias sibi crebrò esse ineundas ad fœcundam scilicet liberorum procreationem recordarentur. Atque vt nouæ nuptæ ad eos conflictus amore virginitatis paulò minùs procliues alacriùs sponsum prouocantem exciperent, earum comam hastæ (quam belli seu duelli indicium veteres esse voluerunt) cuspide affines & necessarij antiquo more discriminabant. Sed in Aëra rursùm inuolemus, compertáque solùm, & in caussam hanc magis conspirantia percurramus. Vēti, quorum munus præcipuum est ad opportunam terrarum irrigationem nubes in aquas soluere, aut easdem alterna vice ad serenitatem toto cœlo abigere, æstiuum calorem mitigare,

Varro l. 1. aut 4. Idē ait Fest. Pomp. l. 1. & alij.

Plutarc. probl. c. 62. Agell. l. 10. c. 27. Diod. Sic. l. 17. cap. 2. in princ.

Plin. l. 2. c. 38.

grauioris ac minùs puri aëris ſpiritus differre ac purgare, æſtuantes animi partes tempeſtiua viciſſitudine temperare: Hæc, inquam, mundi flamina eò celeriùs munere ſibi à natura impoſito funguntur, quo vehementiore cum impetu ſe ad contentionem Duello quamſimillimam ſentiunt prouocari. Ita Cori Vulturnus (eorum namque appellationes à peritis nauium gubernatoribus mutuare neceſſe habemus) Fauonij Subſolanus, Auſter Septentrionis, Libonotus Aquilonis, Africi Cæſias, Circius Euronoti vires, conatus, impetus, alter alterius, conflictu ſingulari reprimunt retundúntque. Ecce & aperta temporum annuorum cōtrarietas hác bellandi ſpeciem ſibi quodāmodo familiarem eſſe declarat, cùm Æſtas ardore vehemētiſſimo torreat quæ Hyems glacie plurima adurere conata eſt: & orientis Veris Flores excutiat Autumni occidēs maturitas. Cœlos & Vniuerſa deſeramus, quibus de qui loquitur, quanquam nihil excipit (quid enim poteſt eſſe extra vniuerſa?) tamen fidei cauſſâ maioris reddamur terris, in quarum viſcera ſi deſpectemus, & ſingulatim quæque non generatim intueamur, Duella paſſim, aut Duellorum ſpecies nobis oculorum aciem perſtringunt. Adamanti cum Magnete tantum à natura diſſidium ſeu Duellum ingenitum ferunt, vt vis illa & occulta Philoſophis acutioribus illecebra, qua ferrū allicit Magnes, &

Id. ib. cap. 47.

Minucius Fel. in Octa. ex Ariſt.

Cic. 4. Academ. quæſt.

Plin. l. 37, c. 4.

secum rapit, Adamante interueniente tota
ncidat & collabatur; imò iam sublatum
rri pondus & Magneti adhærens, illo ad-
ioto, & lapidem sibi oppositum ad Mono-
iachiam tacito iactu inuitante, statim excu-
atur. Quid memorem Aconitum homini-
us exitiabile & perniciosum, nisi cum quo
i iis congrediatur offendat, vbi humana vi-
cera peruaserit, si quamprimùm aut Viperam
enenatam absorbuerint, aut aliquam potio-
em pestiferam, qui periclitantur, obbiberint;
ctutùm illud, quasi hominis oblitum, hosti
duenienti, naturâ duce occurrere, ac vtrum-
que angusto corporis ergastulo (eadem, qua
icanderbechum olim in dolio cum Scytha
mmani ferunt) dimicatione cōfligere, donec
nà, vt homo superstit, salutari humanæ natu-
æ congressu commoriantur. Quid loquar
Tellurem infrà supráque herbas & arbores
omne genus; rutam amaraco, filici arundinem,
quercum oliuæ, caules vitibus, ederam cun-
ctis arboribus nunquam nō aduersari? Quan-
doquidem & quæ siue gradiendo, siue serpen-
do conspiciūtur animalia, per Monomachiam
& pugnas singulares ad pastum accedere cō-
sueuerunt. Ichneumon cum Aspide ad inter-
necionem (*Vsque adeò obnixus non cedere*) solo
naturæ instinctu dimicaturus, in luto pri-
mùm totius corporis vestigiis etiam atque
iterùm subter supráque volutatus, ad solis ra-
dios nouum illud sedulò exsiccat integumen-
tum. Mox vbi pluribus eodem modo sese cir-

Idem l. 27. cap. 2.

Marin. Barlet. Scodrens. in Scanderb.

licentiam è Gallia omninò eiiciendam, vel ad impunitatem eorundem, dum ritè ſuſcipiantur, in poſterum vnicuique faciendam paratos eſſe in animo meo frequento: Ideo mihi conſilium eſt, peruagatum vulgi ſermonem, quo Duella omne genus, quaſi diuinis ac humanis legibus iampridem cõdemnata, tantoperè deprimũtur, ad iuris vtriuſque amuſſim, quantũ in me fuerit, examinare, eúmque falsũ eſſe patefacere. Quod quò faciliùs aſſequar, primùm id, quod æquiſſimũ eſt, petam, vt nihil huc præiudicati afferatis: Deinde, vti me in hac cauſſa, dum accommodatam præſenti controuerſiæ methodum, eámque non ex Rhetorum officinis & artibus ductam, ſed ex abditis totius antiquitatis & veterum monimẽtorum penetralibus expromptam ſequor, pro veſtra conſuetudine, hoc eſt, attentè benignéque audiatis.

Dabo Imperatorum ſummorum, & ſapientiſſimorum hominum, & Regum maximorum authoritatem atque ſuffragia de certamine ſingulari: dabo Antiſtitum, & ſummorum Pontificum, & clariſſimorum Iuriſconſultorum, qui quondam huic quæſtioni præfuerunt: dabo iudicium vniuerſi Pop. Gallicani: dabo ſanctiſſima decreta Senatus Pariſienſis. Ego denique cauſſam ſic agam, I v d., eiuſmodi res ita confeſſas, ita teſtatas, ita magnas proferam, vt nemo à vobis per ius & æquitatem contendat vti Duellatores condemnetis, qui nempè conſulta Regis Maieſtate,

ſtate, aut ſummis Regni gubernatoribus, ad
lutem tuendam publicam priuatámque
ım hoſte manus conſeruerint.
Communi rerum parenti Naturæ aduerſari
cuntur, qui Duello dimicare non extime-
unt. Oſtendam, IVD; primùm, vt noſtra
ec Oratio latiſſimè vagetur, & à priuata
ıgularíque controuerſia ad vniuerſi generis
m explanandam conferatur; vtque vos qui
ıditis, natura, & genere, & vniuerſa re co-
nita de ſingulis rebus cognoſcere poſſitis:
ıſtendam, inquam, paſſim in tota rerum vni-
erſitate, niſi quas vocamus Monomachias,
ltem congreſſus quamplurimos, & Mono-
ıachiæ non pauca exemplaria deprehendi.
'um hæc, quaſi velitum inſtar, præmiſero,
ım illud docebó, quod me pollicitum eſſe
on ignoro, quódque maximè requiri intelli-
o, quicquid in hominum ſocietate iuris eſt,
obis non mediocriter ſuffragari.

Primùm igitur illud erit, ex quo intelligi
oſſit Accuſatorem non omnia vidiſſe (quod
ımen haùd mirabitur, qui meminerit ne So-
:m quidem ipſum mũdi oculum videre omn-
ı) cùm ſe terrâ cœlóque, & cunctis rebus
ıanimis adiuuantibus, Duellâque & diſcor-
ias omninò auerſantibus, ad accuſandum
eſcendiſſe pronunciauit. Altiùs non ibo, vt
ı perniciſſimis Cœlorum curſibus, ortu,
ıccaſu, morâ, receſſu, inſtitionibus, iacti-
ıus, perpetuis conuerſionibus, & circum-
ıectionibus contrariis Duella poſſe depre-

Ex Pto tom. de iud. aſtr. ex Cardan. Plin. l. 2. paſſim Saluſt. Bart. Hebd. 1. 4. die.

hendi plurima commonefaciam. Incolas & habitatores cœli augustissimos, mentes volui dicere sempiternas, atque ab omni concretione materię separatas, in hanc pugnam singularem olim descendisse transilio. Transilio, inquam, exortum esse in cœlo prælium magnum, Duelloque abhinc sexcétos & septuaginta annos supra quinque millia duos inter Athletas fortissimos, alterum cæco fastu atque incredibili arrogantiâ concitatum, alterum partium diuinarum fautorem acerrimũ, inspectante Spirituum innumerabilium consessu, imò & tanti certaminis primique Duellorum, quæ in memorias exiêrunt, stante arbitro rerum opifice ac moderatore dimicatum. Sileo, tribus annorum millibus & quadringentis, ab eo tempore, alterum (quis crederet?) Angelum in terras, annuente orbis molitore Deo, singulari Monomachiæ ineundæ cupiditate aduolasse, vbi Iacobum, hominum, qui vnquam fuerunt, quique hodie sunt, propè dicam, optimum, ad Duellum vel reclamantem, atque suæ obtestationi maximũ fœderis, non belli, cum suo fratre iciendi desiderium obtendentem protraxit, atque cum eo à media nocte ad conticinium vel potiùs ad crepusculum matutinum luctatus est. Seriò, an ioco? Seriò mehercle. Cùm Iacobus, cui ab eo die Israelis nomen inditum ferunt, ex vulnere ea in concertatione per femur accepto, altero pede nutare, atque reliquo vitæ tempore grauiter visus fuerit claudicare. Se-

In Apoc. c. 12. v. 7.

Genes. c. 32. ad finem.

undam venerandæ Triadis Hypoſtaſim è
œlo delapſam, humanáque formâ obductam
um infenſiſſimo generis hominum oppu-
natore, & plurimarum palmarum vetere ac
obili gladiatore, ter iterato conflictu, fortiſ-
imè iuxtà & feliciſſimè (quid autem feliciſſi-
nè Deo non ſuccedit ?) congreſſum aperire
uperſedeo. Non dico portenti ac prodigij ſi-
nile haùd eſſe, ſi noſtrates armati faciunt,
juod non nati ſolent: neque ſapientem homi-
iem hoc mirari oportere magna in Repub., *Petrarch. Dial. 45.*
juod in ipſis materni vteri, etiam numinis ſu-
premi conceſſu, fuit anguſtiis, vbi olim, etſi
naioris myſterij velamentum eſſet, certè non
liſcordes tantùm fratres ſanctiſſimorum va-
um ore clamat veritas, ſed bellantes, ſed
Duello concertantes. Tamen habeo cœleſte
chirographum: poſſum ſacram paginam pu-
am putam inclamare. Ioannis Apocalypſim,
cuius omnes apices ſublime quiddam & ma- *Epiſt. ad Paul.*
gnificum ſonare teſtatur Hieronymus; & ſan-
ctiſſimos Eſdræ commentarios; & Hymnos, *Geneſ. c. 25.*
i vellem, atteſtaret, queis Eccleſia inanis
εὐχαριστίας, & plena veritatis, Vnigenæ Dei
præpotentis & hominum ſeruatori debitum
ſemper conatur exoluere, quia nunquam po-
eſt implere. *Mors & Vita Duello conflixère mi-
rando, Dux vitæ mortuus regnat viuus.* Sed hæc,
quæ neminem veſtrûm latere arbitror, facilè
aceri patiar. Faceſſant velim & inania Poeta-
um figmenta, qui Numinis, quod verè eſt,
penitùs ignari, vt ſingularis congreſſus in-

Ouid. 1. trist. el. 2. ex Hom. passim. Apollodor. l. 3. bibliot. Pier. Val. l. 53. c. 15. ex Varr. In Cistell. & in Casin.

uentum ad Deos referrent; Palladem Marti, Dianam Veneri, Vulcanum Apollini, Palladi Mineruam, & Neptunum; omnem denique Numinum antiquariorum proluuiem, superos, inferos, maximos, medioxumos, minutos, patellarios, vt Plautinè loquar, alterum alteri Duellum multoties indixisse, commentis veritatem ipsam solùm adumbrantibus, in carminis dulcedine reliquêrunt. Hæc fabulosa, illa nimis ardua prudens missa facio. Venio ad Elementa, caussas, & primordia rerum omnium creatarum, è quibus aut Duella, aut quasdam Duellorum species educere non est operosum. Ecce prima occurrit suis in sese nutibus conglobata Tellus. Quid illa? Principium summa grauitate, remisso humore, siccitate magna celebratum. Mox Aër. Quid ille? singulari leuitate, humore maximo, remisso calore insignitur. Aqua succedit. Quid illa? mediocriter humida, valde ponderosa, maximè frigida. Restat ignis. Quid ille? multum siccitatis, plus leuitatis, plurimum caloris à summo rerum architecto consecutus est. Cur ita? scilicet vt Terra cum Aëre, Aqua cum Igni æterno quasi Duello preliarentur. Hæc asseueratio mea si cui fortè à veterum iudicio vllomodo abhorrere videatur, acquiescat ille saltem in Doctorũ Ægyptiorum authoritate, qui, vt Terræ maximam cum Duellis cognationem inesse confirmarent, Mathematicas disciplinas omninò eruditi, si quando bellatores duos pari conditione inter se ma-

Pier. Valer. Hierog. l. 16. c. 14. & 18

ım conferentes, vicissímque in mutuam ernicie Duello concurrentes vellent effin- re, Scorpium, quo Terram à Mathematicis gnificari didicerant, quasi mutuæ cædis, siue ionomachiæ hieroglyphicum, Crocodili oximum, & eum ad certamen inuitantem pinxerunt. Qui verò Dauidis, mortalium iscorum optimi, fidei & testimonio nihil de- ahi, nihil derogari cupit, poterit ille Aquam pugna singulari alienam existimare? Siqui- m magnus ille vates, vt se præcipites & in- nos Goliadis & Sobochi aliorúmque Duel- torum incursus ope diuinâ præteruectum æ posteritati relinqueret, ait suam torren- animam emersisse, se Aquam pertransiuisse tolerabilem, Duellorum videlicet difficul- tes & pericula, in quæ ab aduersariis se cru- eliter aduocatum recordabatur. Sic & Troia- os exules apud Maronem *tot fluctibus actos*, id t, clarissimo sui Hectoris, & Achillis Duel- , patria eiectos,

Idē l. 38. c 25.

Psal. 123.

Virg. 7. Æn.

Atra subegit hyems Italis succedere terris:

Et paulò post, quasi solis, quę Aquam si- ificant, dictionibus Monomachiam posset primere vates,

Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti
Diis sedem exiguam patriis, littúsque precantur.

Venio ad Ignem, qui quâ semper fuisse cum Duellatoribus communione olim creditus est, ud Romanos & Gallos veteres Duellorum nantissimos, (vt posthac faciam apertum) is bellatoribus ad aliquem conflictum insi-

Ex Herodiano l. 1. vbi de Cōmodo: & 2. vbi de Pertinace: & 7. vbi de Alex. nece.

gnem abeuntibus vtrinque præferebatur: & Aruſpices rerum obſcurarum indagatores, cùm Hecuba face prægnans ignes ſibi videretur enixa iugales: &

Hom. Il.

Cum iuxta genitorem adſtans Lauinia virgo
Viſa fuit longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnẽ ornatum flammâ crepitãte cremari:

7. Æn.

Haud cunctanter reſponderunt fore, vt ex illa oriturus eſſet Duellator inſignis (Paridem interpretor, quem cùm Menelao congreſſum nemo neſcit) cuius auſis furialibus Troia tandem aliquando extingueretur: Hæc autem *Regales accenſa comas, accenſa coronam Inſignem gemmis*, augurio fuiſſe dicta eſt certiſſimo Duelli præclariſſimi, quo Turnus & Æneas non longo pòſt tempore depugnauerunt. Progrediar adhuc longiùs, liquidóque oſtendam Aquam & Ignem duo rerum omnium primordia celebratiſſima de ſummo in mortales imperio certamine ſingulari reuera quondam decertauiſſe. Cùm enim Perſæ veteres publicis ſupplicationibus præ ſe ferre ſoliti eſſent Ignem, quo alterum dignitate aut viribus præſtantiorem Deum experientiâ ſe agnouiſſe non meminerant; Aqua, cui diuinos exhibebat honores Ægyptus, Numen aliud ſibi anteponi quaſi ægrè ferens, iuſſit Ignem codicillis prouocatoriis ad Duellum ſtatim inuitari; qui iſtius certaminis cupidiſſimus, quàm qui maximè, Perſarum ob recentes victorias nimis fortè ſuperbientium humeris elatus in locum pugnæ aſſignatum derepentè accurrit.

12. Æn.

Suidas, & Herodot. l. 1. in fine. & Strabo l. 15. Lucianus in Ioue Tragœdo.

lla verò ſacrario auguſtiſſimo (Hydriam
uncupabant) foraminibus vndequaque,iiſ-
ue cerâ bene obſtructis ac oppilatis affabrè
ompoſito, à ſuis ſacerdotibus per ſummam
euerentiam ac timorem inuecta, Ignémque
x improuiſo aggreſſa , & cera nouo eius ar-
ore liquata,ceu repentinis eluuionibus eum
bruit, ac extinxit. Quare, vt hinc auguror,
eque fortè augurium fallit , non aliam ob
em priſcis temporibus Aqua & Igni poſitis
limine vxorem Caiam maritus Caius acci-
iebat, ac illa duo omnis congreſſus ſymbo-
certiſſima tangere vterque iubebatur, niſi
t (pace tua Varro dixerim , qui id eſſe fa-
tum ſcribis , vt ſe in communicationem &
onſociationem vtriuſque fortunæ, ſecundæ
aduerſæ venire ediſcerent) Monoma-
hias ſibi crebrò eſſe ineundas ad fœcundam
cilicet liberorum procreationem recorda-
entur. Atque vt nouæ nuptæ ad eos confli-
tus amore virginitatis paulò minùs procli-
es alacriùs ſponſum prouocantem excipe-
ent, earum comam haſtæ (quam belli ſeu
uelli indicium veteres eſſe voluerunt) cuſ-
ide affines & neceſſarij antiquo more diſ-
riminabant. Sed in Aëra rurſùm inuole-
nus,compertáque ſolùm,& in cauſſam hanc
nagis conſpirantia percurramus. Vẽti, quo-
um munus præcipuum eſt ad opportunam
errarũm irrigationem nubes in aquas ſolue-
e,aut eaſdem alterna vice ad ſerenitatem to-
cœlo abigere, æſtiuum calorem mitigare,

Varro l. 1. aut 4. Idẽ ait Feſt. Pomp. l. 1. & alij.

Plutarc. probl. c. 62. Agell. l. 10. c. 27. Diod. Sic. l. 17. cap. 2. in princ.

Plin. l. 2. c. 38.

fecum rapit, Adamante interueniente tota)ncidat & collabatur; imò iam ſublatum rri pondus & Magneti adhærens,illo ad- .oto, & lapidem ſibi oppoſitum ad Mono- ıachiam tacito iactu inuitante, ſtatim excu- atur. Quid memorem Aconitum homini- us exitiabile & perniciosum, niſi cum quo ı iis congrediatur offendat, vbi humana vi- :era peruaſerit,ſi quamprimùm aut Viperam enenatam abſorbuerint, aut aliquam potio- em peſtiferam,qui periclitantur,obbiberint; ctutùm illud, quaſi hominis oblitum, hoſti duenienti,naturâ duce occurrere, ac vtrum- ue anguſto corporis ergaſtulo (eadem, qua canderbechum olim in dolio cum Scytha mmani ferunt) dimicatione cõfligere, donec nà,vt homo ſuperſit, ſalutari humanæ natu- æ congreſſu commoriantur. Quid loquar Tellurem infrà ſupráque herbas & arbores)mne genus;rutam amaraco,filici arundinem, quercum oliuæ, caules vitibus, ederam cun- ctis arboribus nunquam nõ aduerſari? Quan- loquidem & quæ ſiue gradiendo,ſiue ſerpen- lo conſpiciũtur animalia,per Monomachiam & pugnas ſingulares ad paſtum accedere cõ- ſueuerunt. Ichneumon cum Aſpide ad inter- necionem (*Vſque adeò obnixus non cedere*) ſolo naturæ inſtinctu dimicaturus, in luto pri- mùm totius corporis veſtigiis etiam atque iterùm ſubter ſupráque volutatus,ad ſolis ra- dios nouum illud ſedulò exſiccat integumen- tum. Mox vbi pluribus eodem modo ſeſe cir-

Idem l. 27. cap. 2.

Marin. Barlet. Scodrenſ. in Scanderb.

cumsepsit atque luteis (vt cum Plinio propè dixerim) loricauit munimentis, ardens odio aduersarij,

Ingentésque animos angusto in pectore versans, (Virg. 1. Georg.)

ad Duellum fertur: In eo circumcircà subtiliter caudam attollens, eâ velut clypeo mirum in modum obductus omnes hostis non rudis petitiones, licèt ita coniectas, vt effugi posse non videantur, paruâ quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore excipit euadítque auerso vultu, donec obliquo capite vulneris locum speculatus in Aspidis fauces repentè desubitò inuadat. Possum documenti maioris ergô de innumeris Duellis canum cum lupis & leonibus, scorpionum cum crocodilis, aspidum cum mustellis, ceruorum cum viperis, Rhinocerotum cum barrhis, & vrsis, draconum cum elephantis plura superaddere. Sed in terrenis animantibus nolo esse longus. Petat ista qui volet non solùm ex magistra rerum experientia, sed multò etiam magis ex classicis & maiorum subselliorum autoribus, qui penè singuli infinita Duellorum exempla memoriæ reliquêrunt. Quanquam, cùm rerum Natura nusquam magis quàm in minimis tota sit, Araneam, *toto quæ corpore parua est*, quæque, humanâ specie adhuc insignis, ad solitarium cõgressum Mineruam accersiisse fertur, quare prætermittimus? Illa (Aëris an Terræ accolam appellem, nescio) si quando Serpentem in arboris suæ vmbra somnos ducentem vel apricantem è sua quasi specula despi-

Plutarch. vbi de Anim princip. Pier. Valer. l. 16. c. 14. & l. 2. in eleph. Plin. l. x. c. 74. & l 8. c. ij. Martial. in Amph. ep. 9. & 22. Solin. Polyhi. c. 28. Ouid Metam. 6. fab. 1. Plin. l. x. ca. 74.

at, protinùs euestigiò per aëra sublimata, at-
ue filo trochleæ vice librata supernè sese
iit in caput incuriosi aduersarii, &, quâ est
Monomachiæ cupiditate, tātâ in morsu támque obfirmatâ pertinaciâ cerebrum apprehendit, vt sine alterutrius morte singularis illa concertatio nequeat terminari. Ad Volatiles festinamus. Nullam nullam, non duas nō
nam, ô sapiens orbis moderatrix Natura, sine Duello per aëra liberè vagari permisisti. Video quippe cuculum & accipitrem, olores & aquilas, coruum & chlorionem, illúmque rursùs & miluum, anates & gauias, harpas & triorches, cornices & noctuas, cæteras quæ pēnis efferuntur animantes, mutua inire tandiu certamina, dum illis omnibus aliqua sanguinis guttula, & vena indolis naturalis ad suam palpitat incolumitatem. Nunc è contrario, si libet, vt nihil à nobis omittatur, in Oceanum illabamur: pisces maximos minimos despiciamus. Hinc inde prçliantur vehementer: Qui? mugil & lupus. Quâ pugna? singulari. Qui? delphinus & crocodilus. Quo prælio? singulari. Qui? conger & murena. Quo certamine? singulari. Qui? balena & orcus. Quo conflictu? singulari. Qui? conger & locusta. Quo concursu? singulari. Quis enim alius præter hunc, egregia summæ virtutis & roboris verè laudabilis testimonia exhibere potest? Enimuerò quocunque me oculis & cogitatione conuertero, siue vniuersam rerum immensitatem vno aspectu intueor; siue singillatim

Ant. Sabell Enn. 1. l. 2 p. 24. Plin. l. x. cap. 9. & c. 74.

Id. l. 9. ca. 6. & c. 62.

ſingulas illius partes, ſuperas aut infimas, denſas aut tenues, leues aut ponderoſas, inanimas aut vitæ ſenſúſque capaces, noſtræ orationi ſeruiunt & ſuffragãtur omnia. Sed quid opus eſt (ſentio enim me longiùs eſſe prouectum, quàm deſtinaram) plurima è longinquis & diſtantibus ex prompta in hanc rem congerere argumenta? Cùm ſolennes & præcipuæ nuptiarum cauſſæ, coniunctioníſque ſeu conflictus ſingularis appetitus, quo diuerſæ animãtium ſpecies conſeruantur & propagantur: Cùm infinita litigioſorum hominum paria, qui, etiam veſtro omnium conceſſu, iudiciis forenſibus quaſi Duello ſine vlla intermiſſione confligunt: Cùm is ipſe, qui hac in cauſſa contra Monomachiam verba faciens ſe mecum eadem concertatione diſceptare non videt: Cùm Philoſophi non molles aut proletarii, quales fuêre qui neruos virtutis incidiſſe feruntur, ſed iuſtitiæ & ſanctitatis poſt homines natos ſtudioſſimi, Cato & Socrates, hic totâ vitâ cum hoſte, cum tyrannis, cum vxore, cum liberis matri quàm patri ſimilioribus; ille & viuus & moriens cum fortuna, incredibili pertinacia & ſingulari laude conflictati: Cùm quatuor vitæ humanæ gradus à ſe inuicem omninò diſſidentes ac diſcordantes: Cùm Mens ſiue ratio & laſciuientes in nobis appetitus: Cùm tarditas corporum & animorum pernicitas, hæc vt pluma leuans, illa vt

Artemidorus Oneirocritiων περὶ μονομαχίας λγ. & ex eo Ronſard in Amatorijs Cuius ego venuſtatẽ in carmine conatus ſũ hoc diſticho exprimere.
Et Venus & Mauors ſimili certamine gaudent:
Hic poſtes aperit, pãdit & illa fores. *Artem. ib. Senec. philoſ. epiſt.* 104. *Incertus Autor Conſol. ad Cic. & Cic. pro Cæl. Pier. Valer. l.* 21. *cap.* 6.

raue nos mergens onus: Cùm commotiones istortæ & lumine mentis carentes, affectúsue moderati: Cùm denique Qualitates priiæ, quibus fabrica hominis animantiúmque ceterarum constat & coagmentatur, ad singulare certamen & mutuos concursus ineunos cuique nostrûm animos faciant maiores?

Ouid. 1. Metam. Nam corpore in vno Frigida pugnabant calidis, humentia siccis, Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Videor itaque mihi iam è vadis emersisse, c posuisse fundamenta Orationis meæ, quæ uicuimodi sunt, huius principio defensionis ecessariò præmittenda esse duxi: præsertim ùm qui ante me perorauit, acer & vehemens ccusator, Naturã quasi Duellorum omnium xpultricem sæpe attestando fecerit, vt id iam ntegrum non esset. Nunc autem his extrica a scopulis, & obscuris, propè dicam, naturę vorticibus emersa oratio reliquum crimen diluendum habet de Gentium & populorum omnium consuetudine, & sacris profanísque nstitutis: Queis omnibus specie forensi, vt facilè perspicere potuistis, coloréque adulterino fucatis, omnem suam Accusationem fulcire Duellorum oppugnator ac sustentare frustrà conatus est. Harum ego partium quãquam difficilius esse exitum, quàm initium reperire, ideóque modum potiùs, quã copiam, in dicendo mihi quærendum esse non obscurum habeam, aggrediar tamen audientiâ vestra fauoréque subnixus; Atque ne accusator quidquam nos aut subterfugere voluisse reticendo, aut obscurare prolatando suspiciosiùs autumet, nostram in sententiam omnes Gen-

tes, quæ in orbe terrarum vllius vnquam nominis fuêrunt, atque omnia secula descendere(sacratissimam Regum nostrorum Maiestatem,& ordinẽ Senatorium, & laudatos Principes ac Imperatores, & summos Romanæ sedis ac tribunalis Apostolici moderatores postea subiungam) Duellorum vsum vt gloriosum, vtile, sæpéque necessarium suis comprobasse suffragiis, non copiosé declamando, sed cursim ac dilucidè recensendo declarabimus. Quare à vobis, qui caussam hanc mihi commendastis, eam volũtatem, quam semper habuistis erga veritatis inquisitores, retineatis, quæso: vt quæ vestris auribus eruditis callum fortè iam obduxerunt, rudibus quoque, si volent, faciam exploratissima. Itaque monimenta totius antiquitatis memoria repetamus: Nationes contrariæ fidei & oppositæ religionis peragremus. Quidquid est vspiam, nostræ defensioni suffragatur. Eamus in Iudæam, terram illam concursemus, quæ vagitus Liberatoris hominum excepit, quæ eius ex ore peculiari sigillo diuinitatis obsignato manantia veritatis & eloquentiæ prodigiosæ fluenta excepit, quæ illum in crucem (væ homini, cui dies obliuiosa tantam adimet ægritudinis salutaris memoriam!) sublatum suo sanguine, ter beato sanguine! flagitia nostra expiantem spectauit. Duella hîc aspirante Numine habita, Duellis hanc regionem ab hostium incursu liberatam sæpiùs reperias. Duellator fuit, vt ex multis paucos re-

ẽseamus, Dauid Ieſſæus, pſalterio & hymniis cantilenis terrores Dæmoniacos leuare c dirimere peritiſſimus, qui Philiſtæum Goiadem ſeptenûm pedum altitudine, quadrãe minùs inſignem, loricâ quinûm millium iclorum indutum, ferro haſtæ præfixo drahmas mille & ducentas appendentem: Goiadem, inquam, horrendè Iſraëlitarum forißimum ſibi occurrere poſtulantem ſubita undæ excuſſione perculit, & illius caput lapide in mediam frontem incidenti ad cereorum vſque aperuit. Dauid ſemel ac iterùm Duellator, qui poſt quadraginta millia peditum, & quingentos equites occidione occiſos, Sobachum Aſſyrij exercitus ſecundùm Regem longè celeberrimum in Duello lethali vulnere confodit. Duellator Aſahël, vir tanta pedum celeritate præditus, vt perniciſſimos equos curſu fatigaret: quem ferociùs exultãtem prælióque ſingulari ardentem Abner haſta validiùs intorta transfixit. Duellator Ioabus militiæ Dauidicæ præfectus, qui fraternæ mortis vlciſcendæ cupidus, Abnerem ſimulato iuſſu Regis ex itinere reuocatum obtruncauit. Duellator Abyſaïs, ſalutis regiæ vindex acerrimus, qui Ieſbidenodum, (Amonem vocat Ioſephus) hominem immani ſtatura intrepidè excepit, exceptum proſpero magis quàm cauto congreſſu telo confecit. Duellator Sobochus rara virtute illuſtris, qui Philiſtęos bene multos, enormi proceritate viros, acie ſingulari debellauit. Duel-

1. Regum c. 17. & Eccleſiaſt. libro. cap. 47.

2. Reg. c. 8. & 10.

Cocc. Sab. enn. 1. l. 8. in fin.

Ib. l. 9.

2. Reg. ca. 21.

Ioſeph. l. 7. antiqu. Iudaic.

Ibid.

lator Ionathas Sãmææ filius, & ſumma apud Regem popularéſque ſuos gloriâ, qui gigantem Philiſtæum, ſex cubitorum magnitudine terribilem, ſenos manibus articulos, totidémque pedibus habentem contrucidauit. Animaduertitis, IVD. quod accuſatori accidebat in ſalute hominũ expugnanda, eorúmque animis, qui de rebus dubiis conſultant, ad iracundiam, & ab omni humanitate ſeiunctam ſeueritatem incitandis, idem mihi vſu venire in bono & laudabili eorum, qui periclitantur, patrocinio. Ille ſine vllo aſcriptore & ſubſcriptore ad incuſationem deſcendens, quomodo veritatem omni luce clariorem obſcuraret, non videbat: ego tantam argumẽtorum certiſſimorum, atque authoritatum copiam, qua methodo vobis proponam, inuenire non poſſum. Quid ais, Accuſator? Tecum, amabò enim, loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera. Nunquam ſic labêre. Quid igitur ais? quid cenſes? Veterum ſapientiſſimos, Abrahami & Iacobi nepotes, Duellum, velut peſtem Rerumpub. infeſtiſſimam, ſeueris legibus antiquauiſſe? Acerbiſſimas de Duellatoribus tanquam publicæ ſalutis turbinibus ac portentis pœnas exegiſſe? Sed Dauid (& quãtus Vates?) immani Philiſtæo proſtrato, Micholis regię puellæ connubio potitus eſt. Sed Dauid, corculum diuinitatis, Sobacho perẽpto incredibili ſuorum fauore ac ſtudio, puellari que cantu & innumeris acclamationibus domum reuerſus eſt.

Supra.

Sed

Sed Asahël quamuis stratus Ioabum fratrem, & cæteros commilitones ab hostium insectatione iam quiescentes, ad eosdem repetito cursu grauiter lacessendos potuit inflammare. Sed Ioabus, Abnere obtruncato, militiæ præfecturâ donatus conciliatam Regis amicitiam sibi conseruauit. Sed Abisais Iesbidenodo cadenti: Sobochus turbâ gigantum alternatim confectâ: Ionathas Philistæo trucidato; omnes beneficiis pensati singularibus, eam famam sunt adepti, quę nunquam consenescere, nulla temporum longinquitate poterit obscurari: *Quam non imber edax, non Aquilo impotens Possit diruere, aut innumerabilis Annorum series, & fuga temporum*, vt Lyrici verba vsurpem. *Horat. 3. Carm. ode 30.*

Verũ, si lubet, demus sacros codices Duellatoribus nullomodo astipulari, & sanctorum voluminũ, quæ Deo immortali potiùs quàm vllis hominum ingeniis accepta referimus, testimonium profanæ scripturæ authoritati postponendum. Nunc agè, Duellorum expugnator, refer animum, sis ad veritatẽ, & mecum florẽtissimas post hominum memoriam Respub. legibus, Deorum cultu, religione, & moribus à se inuicem plurimùm dissidentes, sed penitùs in Duellorum obseruatione consentientes propone tibi ob oculos. Æternis Quiritium, hoc est, gentium barbararum, sed sapientiâ & virtute conspicuarum historiis celebratur, Quis? Romulus. Quamobrem? quia ab Acrone Ceninensium rege ad dimi- *P in Rom. & Valer. Max. l. 3. c. 2. & alij.*

candum accersitus, (quanquam tutius toto cum exercitu, quàm solum in aciem descendere plurimi iudicarent) eũdem vulnere prostratum vita & armis spoliauit. Quis? Iun. Brutus. Quamobrem? quia filium Tarquinij Aruntem manu promptissimum, probrosísque verbis Romanos compellantem, haùd ferendum ratus, per scutum & thoracem traiecit, atque hostile funus suo funere decorauit. Quis? Q. Fab. Ambustus. quamobrem? quia propè Clusium in Hetruria extra aciem equo sublimis Gallorum ducem insigniter bellantem adortus transfixit. Quis? Corn. Cossus. Quamobrem? quia magister equitum factus Lartem Tolumnium Fidenatium Principem, vtroque spectante & obstupescente exercitu interemit. Quis? M. Claud. Marcellus. quãobrem? quia Padum iuxta spolia opima de Viridomaro Gallorum fortissimo referẽs, tertiùm Ioui Feretrio ea suspendit. quis? M. Seruilius. quamobrem? quia vicies & ter ampliùs pugnauit ex prouocatione, ac semper victor in castra reuersus est hostilibus armis onustus. quis? L. Sicin. Dentatus. quamobrem quia octies cum hoste singularem pugnam ingressus, toties victoriarum impendentium sua dexterâ omen certissimum fecit. Quis? Q. Cotius, ob fortitudinem Achilles cognominatus. Quamobrem? quia forsá mensæ prandendi caussa iam assidens, cùm intelligeret se à quodam mirmillone Celtibero ad decertandum inuitari, relictis dapibus eundem inso-

Liu. 1. dec. l. 2.

Ib. l. 5.

Valer. l. 3. cap. 2.

Sabell. en. 3. l. 5.

Propert. l. 4. eleg. ij.

Plutarch. in Æmyl.

A. Gellius l. 2. c. 11.

Sab. l. exempl. 4. c. 6.

Idem ibi.

lentissimè obequitantem consectatus occidit, detractásque corpori eius exuuias ouans lętitiâ & honore in castra reportauit. Quis? T. Manl. Torquatus, L. filius. Quis? Claud. Asellus. Quis? Valer. Coruinus. Quis? Æmylius. Quis? Sertorius. Quis? C. Marius. Quis? M. Antonius. Quis? Pompeius Magnus. Quã-obrem? quia vltrò exceptos, aut accersitos ad Duellum infensissimos hostium bellatores internecioni dederunt. Testimoniorum copia, IVD., me inopem consilij reddit: difficilísque & lubricus est admodùm locus cui nũc insisto. Nam ita magna & memorabilia sunt, quæ mihi Duella post homines natos vel à Nationibus disiunctissimis comprobata fuisse aperienti occurrunt, vt cùm ad singula despecto, nihil eorum sine flagitio reticeri posse autumem: ita multa rursùs, vt cùm vniuersa intueor, ea velle vnâ oratione complecti, atque cum tam insigni argumento paria facere, ingenij esse videatur nimiùm cõfidentis. Quare quoniam ipsa sibi obstat rerum magnitudo, exemplorúmque diuersitas oratoriam methodum abrumpit; sequar eos, qui terrarum situs in breui tabella pingunt: multa delibabo tantùm ac perstringam, multa quoque notabo potiùs, quàm aperiam: nonnihil, vt spero, ad Duellorum admirationem collaturus, si ea per omnes gentes orbis terræ, locorum ac temporum interuallis disiunctissimas olim celebrata fuisse ostendero. Si quis ergo mundum vniuersum sibi ponat ob oculos, ei faxo

Id. Enn. 4. l. 3. Gell. l. 9. ca. 13. Plutarch. in Sertor. in Æmyl. &c.

Catull. in nupt. Iulia & Manlij 62 ad fin. Magnates eo numero, quem qui ſcire velit,
Ille puluis Erythræi,
Siderúmque micantium
Subducat numerum priùs;

Strab. l. 8. & 13. Polyan. l 1. Sabell. en. 1. l. 5. & 6. en. 2. l. 3. & 4. En. 4. l. 4. 5. Plutar. in Nicia & Phi. Herod l. 9. Chryſerm. l 3. rer. Pelopon. Fulgoſ. ca. 1. l. 8. Ou. 9. Met. f 1. Nat. Cõ. l. 5. cap. 12. Plut. de Græc. & Rom. compar. Pauſan. l. 5. Pap. in Theb. Iuſt. l. 12. Diod. in Alex. Hygin. ca.

Duellorum nomine conſpicui, hinc illinc quamprimùm veniant in mentem, Melanthus, Phryno, Lamachus, Sophanes Athenis: Eualcus & Othryades Spartæ: Zaias & Zampſa in Perſide: Xanthus, in Bœotia: Critolaus in Achaia, cum duobus germanis: Pyræchmes & Diomedes, Hercules & Achelous in Ætolia: Degmenus in Elide: Mantinææ Philopœmon: Buſiris in Ægypto: Syracuſis Callicrates: Eteocles & Polynices Thebis: Chranius, Eurybiades, & Alcinorus in Argolide: Anthæus & Alcides in Africa: Pyrrhus & tres Curiatij in Epiro: Porus in India: Satribarzanes in Scythia: Codomanus in Armenia: Alexander, Leonnates, Dioxippus, Corrhagus, Eriginus in Macedonia: Chryſaorus cum liberis in Hiſpania: Aiax & Onegilus in Salamine: Æneas, Paris, Hector in Phrygia: Vffo, Scioldus, Regnerus, Starchaterus in Dania: Amycas & Pollux in Bithynia: Denique niſi omni feſtinatione aurium ſatietati occurrendum eſſe ſentirem; quos ego hîc ab Epiro Caſtriotos Scanderbechos, vel in dolio anguſtiſſimo decernentes, Artabazes ab Armenia, Sordellos ex Mantua, Aldebrandinos ex Patauia, Eliprandos ex Mediolano, Emſeros è Germania, Zamudios ex Hiſpania, Vellios ex Anglia, Cunibertos, & Lamiſsiones è Longo-

bardia; quos orbe Christiano dynastas & Optimates possem arcessere, qui exemplo, qui authoritate, qui legibus, qui mercede suorum animos ad Monomachiam fortiter ineundam inflammarunt. Verùm hæ, vt modò dicebam, fuerint tanquam leuis armaturæ primæ excursiones, quas, vt cominùs agamus cum aduersario, tandem præterimus, atque ita præterimus, vt tamen intuentes & respectantes, summas vbiuis terrarum nationes loco dissitas, Duellorum vsu concordissimas in nostram conspirare sententiam recordemur. In Galliam verò, quia ipsa iamdudum ad sese vocat, & quodammodò abripit orationem meam, contento studio cursúque veniamus. Vos enim prorsùs ita existimare debetis, licèt Accusatorem, vobis, vt facilè animaduerti, incredibilem eius cõfidentiam stupentibus, paulò antè voce supra Pericleã vehementissimâ tonantem, fulgurantem, omnia permiscentem audiuerimus, & crebrò inclamantem; Nostri Reges Gallicani, nostri Summates, nostri Cœnobiarchæ, nostri Episcopi, nostri Legislatores, nostri Senatus amplissimi, nostrę leges & maiorum decreta: omnes tamen, qui in euoluendis Franciæ annalibus nonnihil temporis insumpserunt, si à vobis in hanc rem interrogentur, vno consensu dicturos, Si hoc argumentis effecerit Duellorum propugnator, Reges in Francia dominatos esse, & Viros dignitate ac sanctimonia commendatos in ea quondam floruisse; caussam

17. 5. an. Seru. Hom. passim. Virg. 12. an. Saxo 1. l. & 4. Cranz. l. 1. Sax. c. 6. Mar. Bar. in Scanderb. Sigon. l. 19. Imper. Occid. ex Procop. Egnat. l. 3. cap. 2. Scardern. l. 3 class. 13. hist. patau. Fulg. l. 3. c 2. Sigon. l. 9. regni Italici, Paul. Vvarnefrid. de gest. Longob. l. 1. ca. 15. & l. 5. c. 40.

hac parte obtinuit. Hîc ego diffiderem, aut vlla in re timore prolaberer? Imò verò talia mecum recenſenti accreſcit animus, & deſiderium pugnæ, in qua quoquo modo ſe mouerit aduerſarius, feret incommodum. Nam quod attulit, afferemus: quod intulit, inferemus: quod contulit, conferemus: res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione pugnabit. Maiorum decreta, & Galliæ conſuetudinem, & eorum, quos modò nominabam, teſtimonia iudiciáque admiſerit; captus eſt: excluſerit, nullus eſt. Quod abs te, Iudex æquiſſime, & à vobis, qui adeſtis in conſilio, quæſo vt diligenter attendatis.

Negat Accuſator intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe alterum ad ſingularem pugnam accerſitum eſſe fateatur. In qua tandem prouincia id homo inſipientiſſimus diſputat? Nẽpè in ea, quæ poſt prima Franciæ incunabula Reges, Reginas, prolem Regiam, Duces regio ſtemmati propinquiores, Epiſcopos, Monaſteriorum Priores, Archimandritas, Curatos, Religioſos, Canonicos, Sacerdotes, Comites, Vicecomites, Duces, Præfectos, Equites torquatos, atque vtriuſque ordinis; Antiquiſſimam Nobilitatem, lectiſſimam Iuuentutem, etiam Matronas illuſtres, quod penè incredibile ac portenti ſimile videtur, reliquos fortunæ mediocris planè extra numerũ, omnes aut ſemel, aut ſæpiùs; aut per ſe ipſos, aut per viros ſpectatæ fortitudinis, Duella & Monomachias inire ſpectauit. Pergite, Auditores,

dùm hæc omnia non peruulgata, ſed memoratu ac cognitu digniſſima ſummatim perſequor, Orationis meæ curſum aurâ lenitatis & attentionis veſtræ adiuuare. Atque vt à Regibus, iis Regibus, qui primùm aqua ſalutari abluti ſunt (quid enim altiùs regrederer?) exordium ducam: Centum ſupra mille, anni, vt mea fert memoria, elapſi ſunt, cùm Clodoueus, ob præclaram aduerſus Alemanos non humanis viribus, ſed ópe diuina reportatam victoriam, voti damnatus ab Antiſtite Remigio, viro fama & pietate illuſtri, baptiſmi lauacro admotus eſt, & in Chriſti militiam aſcriptus. Mox veluti diuiniore quodam Numinis afflatu impulſus, Viſigothos probroſis peſtis Arrianæ maculis contaminatos, bello adoritur: quem Alaricus ex Burdegala Vaſconiæ cum numeroſo exercitu profectus velut hoſtem infenſiſſimum in Pictauis excepit: prælium ſine mora ingrediuntur atrox & vehemens, quod tandiu anceps fuit, donec Rex Chriſtianiſsimus tacitis, vt vero ſimile eſt, Dei maximi excitus monitis Alaricum hæreſeos Arrianæ propugnatorem non impigrum ad pugnam ſingularem inuitarit, cóque manu ſua interempto, certiſsimam vi-

Clodoueus ab alijs Lodoim, Lodouic, & Ludouichus appellatur. Omninò malè Clodoueus: vt ſi pro C. Marius, quis diceret, Cmarius. Pro eo enim quod eſſet integrum Coninch Lodoueus, i, Rex Ludouichus, (Nam Coninch vetere linguâ ſignificat Regem) ſcripſerunt C. Lodou. è qua ſucciſa notatione effectum, vt linguæ Germanicæ rudes proprium Regis nomen non Lodoueũ, aut Ludouichum, ſed Clodoueum vel Cludouichum pronunciarint. Idem dicendum de Clotario, Chilperico, Clodomiro, & ſimil. pro Lothario, Hilperico, Lodomiro, &c. Tamen errorem hic cómunem ſequimur. Quid autẽ ſignificat Lodouichus ſuprà docuimus. V. Gorop. Franc l. 3. & ex eo Fauchet ad A.C. 469. c. 16. l. 2. antiq. Gall.

primo concursu lancea transfixum ad terram moribundum explicuit, iacentísque spolia victor gloriosè ostentauit. Proximus huic inuictissimo Regi, & longo tamen interuallo, vt potè annorum viginti supra quingentos, aut non multò secùs, proximus occurrit Ludouicus Crassus (barbari scriptores Grossum dicere malunt) qui libello prouocatorio Henricum, Regē Angliæ (cuius libidine scelerata præpediti animū nihil valuisse accipio) ad singularem conflictum allicere conatus est. Ad Carolū Valesium Siculo sceptro nobilitatum festinat animus, quòd eo regnāte Duellorum vsus adeò longè latéque per omnium pectora irrepserat, vt vel summi Pontificis authoritate atque sententia dicatur fuisse confirmatus. Cùm enim aliquandò in Sicilia Ioannis Prochitæ impulsu miserandum in modum sæuitum esset in Gallos, signúmque ad Campani æris sonitum vesperarum horâ datum ad occisionem Gallicanam discurrentibus *Siculas Vesperas* in tritum ore posteritatis commutasset prouerbium, Mox Carolus Rex, inauditæ crudelitatis vlciscendæ cupidissimus, cum ingentibus copiis in Siciliam, mox in Italiam, vt res ferebat, transgressus, post aliquot conatus irritos, Petrum Arragoniæ Regem, cum quo venerat in colloquium, grauiter insectatus est, quòd Siciliæ ambitiosè insinuatus per scelus & nefariam Insulanorum cōiurationem, genti inmanissimæ, & nullâ re magis, quàm

Sugg. de gest. Ludou. Craf.

Sabell. En. 9. l. 7.

perfidiâ & perduellione insigni per dedecus & ignominiam faueret. Mutuis inde iurgii petulantis contentionibus Reges sese lacessentes eò discordiæ ac indignationis processêre, vt ad singularem conflictum vterque alterum prouocarit, vnâ demum pugnâ de vita & regno decreturi. Cuius consilii factus certior Pontifex Gallici sanguinis, Martinus IV, quem confecto huius vitæ curriculo in cœlestium consilio collocatum eius Sepulchrum pluribus miraculis illustratum declarat, duos Reges potentissimos, cum quibus illi erant omnes amicitiæ necessitudines, ad se accersiuit, accersitos, multis querelis vltrò citróque incassùm habitis, ita dimisit, vt (hic in verba Franciæ historicorum, & Iurisconsulti clarissimi, non Veneti rapsodiarum coactoris volens descenderim) ambo ad Burdegalam, vel, soli, vel cum centum ex vtraque parte lectissimis equitibus (alii addunt & ducentos) proficiscerêtur, cum spe in memorabili duello aut victoriæ potiundæ, aut profundendæ salutis. Quid postea? Carolus verè Gallus, hoc est, vt interpretor, Duelli amantissimus, conditiones lubens amplectitur, diéque certamini præscripto, nempè Calēdis Iunij, eo salutis anno, qui fuit octogesimus tertius supra mille & ducentos, aduolat Burdegalam. Rex Arragonius fidei potiùs & honoris, quàm vitæ negligens latuit illo die, nec certo confirmatóque animo in arenam potuit descendere: quem idcircò Romanus

Michael Riccius lib. Neapol. 3. Et clariùs Anton. Florent. in parte. 3. c. 4. parag. 8. Alciatus l. de sing. ce. 3.

Pontifex anathemate execratur, in eum (etsi maxima in fortuna minima licentia est) quasi magnitudine sceleris omnium ingenia exuperantem, cruce signatos concitat, & Gallum principem, qui tam magno, támque præsenti animo duellum experiuerat, miris laudibus extollit. Franciscum I. nunquam sine præfatione nominandum, in Duellorum vsu stabiliendo præterire mihi religio est, qui hac in Academia regnandi artes tanta felicitate didicit adolescens, vt regiâ coronâ illustratus æquales Principes cùm admirabili prudentia & singulari fortitudine præditos æquarit, tùm certè constantia tentata sæpius, nunquam autem labefactata superarit. Ille igitur damna in orbem Christianum inuecta per discordias à se cum Imperatore potentissimo susceptas animo reputans, ægréque simul ferens; quòd Gallorum iuxtà & Italorum oculos sine vlla intermissione armorum fulgor præstringeret, obtunderet, consternaret; publicáque omnia & priuata illinc mulierum & puerorum lamentis, hinc innoxiæ plebis eiulatibus, passim morientium suspiriis, & militum clamoribus circumsonarent, tandem ad Monomachiam velut dissensionum omnium moderatricem, atque bellorum expultricem sibi confugiendum esse cogitauit, sapienter pronuntians, satius esse paucos internecioni exponere, quàm tot animas dare incertis præliorũ casibus extinguendas. Hæc sunt verba denuncia-

Vnde dictus Franciscus docui pag. 9. & 10.

Carolum V. intellige.

tionis seu chartulæ prouocatoriæ, quam audiente Legato Hispaniarum, viro clarissimo, astantibúsque illustrissimis Franciæ proceribus; iussit alta voce pronunciari. : *Ego Fanciscus summo Dei beneficio Genuensis Dominus, & Franciæ moderator, tibi Carole, fauore Numinis eiusdem, creato Romæ Imperatori, & Regi Hispaniarũ, denunciamus,* &c. mox paucis interiectis. *Chartulã hanc ad te misimus* quâ, &c. tùm denique. *Quoties quid protulisti, aut proferri iussisti, quod meum honorem labefactare posit, toties mentiris: &, si negas, rursus mentiris: nec vltrà tecum conuicijs agam, reseruans si per te non steterit, vt armata manu te alloquar.* &c. *Datum Lutetiæ Parisiorum, vrbi & ciuitati nobis carissimæ, V. Calendas Aprilis anno* 1527. *ante Pascha. Ità subsignatus Franciscus.* Neque pugnam hanc à tãto Heroe aliqua perturbatione occæcato susceptam fuisse hinc liquidò apparet, quod reliquo vitæ tempore similes conflictus vel à comite Fustembergo, qui stabat à partibus Imperatoris, quamuis per simulationem oblatos volens acceperit, vel à suis purpuratis initos lætissimis oculis inspectarit. Francisce magne, tot Regum decus, tot heroum pater, veræ magnanimitatis exemplar, Francici splendoris vindex, ignorantiæ iuxtà & timiditatis expulsor, quid nũc diceres, si viueres in terris, & hos Pyrgopolinices Plautinos, hos Thrasones Terẽtianos, Thersites Homericos, Drãces Virgilianos, sola mẽthâ vesci edoctos, imbelles deniquè, & ex omnis inertiæ proluuie eductos cõcerne-

Martinus Bellarius in Memor.

res, tua nullis intermoritura seculis facinora per scelus & audaciam obliterare, cõtra te in concionibus declamitare, legum cõtemptorem, extinctorem religionis passim in ore suorum assleclarum vocitare, ferrum deniquè, & craticulas, & vncos in te consciscere, quia regni tui dissensiones Monomachiæ decidendas permiseris. Sed amẽtissimi homines, & rerum imperiti non meminerunt, opinor, eum Regem Carolum, qui centum annis & quinquaginta antè vitæ innocentiâ & morum integritate tibi præluxit, quíque ob spectatam animi moderationem, & comparatam in Reipub. administratione peritiam *Sapientis* cognomen apud nos tulit, non meminerunt, inquam, nec legerunt illum Regem Solomonis sapientiam omnino ęmulantem, olim iussu inaudito præcepisse, vt vnus ę suis spiculatoribus singulari pugnâ cum cane venatico depugnaret: Quo tamen consilio nihil prudentius excogitari potuisse, fidem faciente exitu, posteri agnouerũt: quippè quæ priùs Iudicum oculatissimorum solertiam, & Quæstorum cautissimorum mentem oculósque fugiebant, ea, Duello peracto, luce meridianâ clariùs apparuere. Non alius te Philippe III. sanctissima Ludouici sanctissimi proles, honoris & gloriæ, seu potiùs veritatis explorandæ thyrsus cœlestis percussit, cùm nemine gloriosum duelli certamen tibi offerente, saltem auunculum tuum Carolum Siciliæ, & Petrum Arragoniæ, Reges nobilissimos, ad Burdega-

Nam oratione superiori dictũ est Duellatores obnoxios omni pœnæ.

Ex pictura camini, quæ videtur in castello Montisargi.

P. Descriy. c. 145. de Godefr. buillonio.

Iam; & paulò post, Guilelmum Montis-Signati, & Castellum-Villaium; hunc Roberti Bethuni, illum Hugonis Burgundiæ ducis campionem (vulgus ita loquitur, & lectissimum bellatorem dicere religio est) in pratis S. Germani ad Parisios suas veteres discordias discussuros, solitaria pugna, & omninò deleturos, tua, Reginæque Mariæ, Heroinæ serenissimæ præsentia nobilitare voluisti. Idem te Carole VI. & veræ & antiquæ nobilitatis perpetuandæ cupidissimum, stimulus egisse fertur, cùm acerrimum Ioannis Carrugii, & Iacobi Grisii Duellum, magna circunstante Procerum & vtriusque fortunæ hominum corona, ad D. Martinum à campis Lutetiæ imminentibus spectasti, & Carrugium victorem annuo vectigali donatum in tuorum domesticorum numerum ascribi voluisti. Hæc animo sæpius versauisse, hæc seriò meditatos esse honoratissimos tantorum Principum successores, Carolum VIII. Italiæ domitorem, & Henricum II. disciplinæ militaris in Gallia restitutorem non ignoro, qui

Froissard. Hil. Parlam. 3. ca. 60. & 65. A. 1386.

Ambo pij, charique ambo, nequeam ipse priorem
Dicere;

Stat. Theb. l. 6.

Cùm in annalib⁹. laudabili curiositate legerēt Maiores suos, quibus æternitatē historia debet, publica priuatáque dissidia in cōflictu singulari dirimere cōsueuisse, duas similes pugnas fortiter pugnatas, alteram anno millesimo quadringentesimo octogesimo plùs minùs sexto; alteram anno, qui fuit quadrage-

simus septimus, supra mille & quingentos VII. Idus Iulii, incredibili cum voluptate spectarunt, & beneficiis singularibus Duellatores fortissimos compensarunt. Video tamen accusatorem strepitu significantem nescio quid, reuerà stomachatur, & suas, vt arbitror, intelligit partes nunc esse durissimas, nostras faciles & explicatas. Itaque quò se vertat, non videt, quibus machinis me tot Regum valido & selecto comitatu circũseptum concutiat & labefactet, nõ aduertit: Nisi fortasse verbosiùs obloquẽdo diem eximere conatur, & per summã ignorantiã mihi obiectare pergat, eos omnes Heroas à me suprà laudatos, saltem authoritati & arbitrio Caroli magni omninò esse refragatos. Hunc certè & alios Monarchas, quorum fama iisdem, quibus solis cursus, terminis, regionibúsque definitur, suæ ignauiæ & accusationi probrosæ, vt mens augurat, prætendere non verebitur. sed ab intẽtis hominib⁹, si vos ego ritè noui, nec aures, nec oculos cõmpilabit. Rudis enim gladiatoris hæc est, & in firmissima huius caussæ præsidia incassum coniecta petitio, quam ita facilè distorquebo, vt morituri Priami iaculum Neoptolemus, rauco quod protinùs ære repulsum

E summo clypei nequicquam vmbone pependit. 2. æneid.

Primùm enim si dicerem, quod verissimè commemorarent, quibus aliundè responsa non supppeterent, haùd liquidò constare idcircò omnem se fregisse hyemis & procel- Arist ad. Nicom. l. 1

larum sæuitiam, licèt vna aut altera veris internuncia ad nos reuolet hirundo: Et in caussis forensibus multitudinem suffragiorum vincere plerumque: neque sententias ponderari, sed numerari apud æquos rerum æstimatores consueuisse: Aduersarius credo, vel nondum intellectâ Iudicis sententia omnem huiusce quæstionis victoriam sibi præripere, nisi ore sit durissimo, non vereretur. Sed contendo aliter, fateórque, Imperatorem hunc, iam alterum pedem, quod aiunt, in cymba Charontis habentem, Duello suis subditis interdixisse: addo, si vis, & rixis, & vocibus contumeliosis, & toruis aspectibus. Quid enim ferendum minùs, quàm quos arctissimo eiusdem soli natalis vinculo iura diuina atque humana simul cõiunxerũt, eos, per summam honestatis & legum negligentiam, se mutuis inimicitiis & dissensionibus in suæ perniciem reipub. debilitare. Vides itaque quò, facultate & copia caussæ confirmatus, ego progrediar, quàm non reformidem, quanta lux confidentiæ & securitatis mihi contra te dicenti oboriatur: vt potè qui vel tuas partes non dubitem stabilire. Tu summi Principis authoritate innixus Curiales pugna singulari à se inuicem distrahi non oportere vociferaris; non abnuo. Carolum magnum omnia sanctè integréque suis posteris tradidisse conclamas; ego illa ipsa subscribo. Sed si ex his Monomachiam ab eo principe damnatam fuisse coniectura assequte-

Lucian in Apolon.

asequeris; ô quondam nomen Gallicani imperii, ô excellens Francorũ dignitas, ô Caroli magni, verè Caroli, ideſt, clariſsimi, & illuſtriſſimi, ſic lõgè latéque propagata laus, vt eius gloriæ domiciliũ cõmunibus orbis terræ finibus terminetur! ô Aquitani, Burbonij, Claromontani, Vaſcones, Hiſpani, Saraceni, Lõgobardi, teſtes Caroli Magni nõ animi ſolùm in prælio, ſed etiã prudentię in bello cõficiendo: vos denique Pyrenęi montes imploro, & ſola terrarum vltimarum! quæ eſt enim ora, qui portus, quæ inſula, quæ littora, in quibus non exſtent huius cùm trophæorum & victoriarum, tum conſiliorum, quibus illa eſt adeptus, impreſſa veſtigia? Hîc ego, Iudices, non ſum prædicaturus, quot & quantas in media pace ſuis Proceribus conceſſerit Monomachias, quanta moderatione, iuſtitiâ, & integritate legem Salicam, quâ ſingulares conflictus potiſſimùm innitebantur, volens obſeruarit: hoc vnum dicam, neminem vnquam tam impudẽtem fuiſſe, tam exhauſto rubore inſignem, qui à Deo immortali tantas, támque vtiles victorias tacitus auderet optare, quantas & quàm fructuoſas toti Gallię Deus immortalis ad Carolum Magnum Duelli beneficio detuliſſe fertur. Cùm enim tandem aliquando magnus ille Princeps bellum Hiſpanienſe ad exitum perducturus, opulentiorem, quàm vnquam alius in Europa Moderator, contraxiſſet exercitum, licèt eo bellatorum concurſu ſe ſtipatũ videret, vt ad duodecim millia paſ-

Carolus à Car, & Hel: quorum illud pro ec, quod enixè cupimus apud nos morari, vſurpatur. Hel. verò altum & clarum ſignificat. Carl. igitur ſyncoptôs is dicetur, qui velut apex eſt & claritas eorũ, quos caros habemus.

Becan. Fra. l. 3. & Hermatena l. 6.

Sabell. En. 8. l. 8. ex Tur.

pin. in Car. Mag. suum exaudiretur castrorum fremitus, publicæ tamen incolumitatis seruandæ cupientissimus, primùm lacrymas in tam lætum spectaculum, vt Xerxes quondam in armatorum *Herod. li. 7.* centum & septuaginta myriades, effundens, de mittendo in compendium tanto Christianorum militũ periculo diu multúmque cum animo suo cogitauit, Mox, cœlo tanti principis voluntatibus obsecundante, egit cũ Aigolando hostium duce, qui & innumeras penè barbarorum copias secum trahebat, vt ad declinandam tantam humani generis iacturam, quãta fermè secutura videbatur, si totis vtrinque viribus in aciem descenderetur, Sarraceni Gallíque ex vtroque exercitu selecti per partes ex prouocatione dimicarent: euentu eorum certaminum tandem declaraturo, vtra fides Deo magis arrideret. Neque eum sua de Duellorum exitu frustrata est opinio. Nam cùm res Christiana, repetita sæpiùs Monomachiâ, superior euasisset, eò venit barbarus, vt qui priùs se vrbis Romæ euersorem, fidei sanctæ vastatorem, sacrarum ædium deprædatorem, proborum hominum tortorem, & cum Attylà flagellum profitebatur, tùm orthodoxam fidem amplecti, & stipendia sub Christo mereri voluerit. O Sancta maiorum consilia, qui nunquam tota acie, nisi coacti & inuiti decertãtes, paucorum discrimine bella teterrima profligabant! O beatas & laudabiles Monomachias, quæ Reges potentissimos, copias numero infinitas, gentes deni-

que immanitate barbaras à sordidissimo malorum Dæmoniorum mancipio ad Dei Max. Opt. cultum, cui seruire, dominari credimus, felicissimè reducebant! Sed viceuersâ quis stolidam ac insipientem ipsius Aigolãdi mentem nõ miserabitur, qui seminudos quosdam ex vetere instituto penes Carolum humiliùs accubantes conspicatus, à recto proposito miserè deiectus est, & in castra reuersus futuro prælio animum rursùs intendit? Quãquam, nec multò pòst, vt æquissimum videbatur, suo damno expertus est, quàm ægrè ferret Deus immortalis pactum Duelli exitu comprobatum infringi, ac leui de caussa violari. Nam Carolus Magnus, Deo duce, debiles esse omnes aduersus æquitatem machinas, imbecillam & inutilẽ aduersus Christianum decus barbarorum multitudinem ratus, non priùs destitit, quàm Iberis phalangibus fusis, fugatis, castris exutis ac direptis, Aigolandum fœdifragum in Duello Arnaldi Bellãnici, Galli Principis dexterâ concidentem lętus aspectarit. Rolandi verò Blauij Comitis, ex Berta Imperatoris sorore nati (cuius præclarè gestis plus tenebrarum, quàm splendoris circulatores offuderunt) admirabilem in Duellis, probante & imperante Auunculo, susceptis fortitudinem quis se vnquam pro dignitate satis extollere posse confidat? Qui cùm totam propè ætatem nulla in re magis, quàm frangendis ac domandis nostræ religionis oppugnatoribus, tuẽdáque Apostolicæ dignitatis glo-

Sabell supra.

ria consumpsisset, eiúsque rei caussâ Carolum semper triumphantem per diuersas orbis terræ partes laborum & honoris particeps assectatus esset, etiam periculosissimam Nageræ obsidionem sua celebritate consilióque nobilitatam honestauit, ídque cum magno, si vnquam aliàs, exercitus Gallicani commodo ac emolumento. Stabat enim ab hostium obsessorum partibus vir quidam stupendâ corporis proceritate, qui

Herculeâ non mole minor,

6.Theb. vel sola brachiorum iactatione, terrificóque oris fremitu & sonoro, comísque ceruicum fluctuantibus, etiam fortissimorum athletarum animos timore percellebat. Quanquam hac in re fidem meam Turpino Remensi antistiti, qui fuit Caroli comes, & eius victoriarum scriptor & testis oculatus, astringere vix auderem, nisi plerique viri sapientiâ & eruditione conspicui, ad vim siderum omnia referentes, huic veritati suffragarentur, pariáque de Pusione & Secũdilla, qui fuerunt Augusti principatu, déque Orestis ossibus Tegeę repertis memoriæ reliquissent. Addo quòd, per hosce annos Circulatores nescio qui, hac in vrbe ossa enormi vastitudine ac mira duritate spectabilia, Theutoboci Regis Theutonum & Ambronum, vt aiebant, qui à Mario ad ducenta millia cæsi, & nonaginta capti aliquantò remotiùs à Sextiis aquis olim fuerãt, quasi per transennam & parcissimè ostentando à curiosis pecunias erogarunt. Sed iam ad

De gestis Car. Mag.

Plin. l. 7 c. 16. Id. ib.

Vell. Paterc. l. 2. c. 12. Flor. l. 3. c. 3. ex Liuio.

Duellatorum præconia, vnde longiùs, quàm voluntas fuit, ſumus digreſſi, reuertamur. Illum, quo de hîc agimus, Feracuti nomine celebratum, Goliathus Babyloniæ Admirathus cum numeroſo Ottomanicæ gentis exercitu miſerat Hiſpaniam, vt Saracenis opem aduerſus Chriſtianos ſubminiſtraret. Enimuerò tantam ſuis in viribus fiduciam collocarat, vt multos ex Gallorum fortiſſimis ad Monomachiam inuitans (quos eâ pugnandi ratione controuerſias quaſlibet diſcindere ſolitos intellexerat) ex prouocatione victos ac proſtratos in vrbem cum magno totius Gallicani exercitus dedecore & probro ſecum adducere nec fruſtrà conaretur.

Quæritur huic alius, nec quiſquã ex agmine tanto *Virg. 5. Æn.*
Audet adire virum, manibúſque inducere cæſtus.

Nam vt in corpore, quum aliqua pars ægra eſt, valetudo omnis contaminari ſolet: ſic illius Gallicæ multitudinis portio Duellis recentibus malè affecta totum exercitum timoris contagione deiiciebat, conſternabat. Quare arrogantiâ & faſtu plenus ſupra modum Feracutus, *Nazar. in Paneg. Conſt. Imper.*

——caput altum in prælia tollit,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertóſque
Oſtentat, latóſque humeros, alternáque iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Sic alacris, cunctóſque putans excedere pugna;
Rex, inquit, ſi nemo audet ſe credere campo,
Quæ finis ſtandi? quò me decet vſque teneri?

Visa hæc Imperatori dolorē mixto timore ita incusserunt, vt quemadmodū Peleo apud Homerum satius visum est animam exhalare, quàm Achille absente Hectorem ἀνδροφόνον, ἄμαχον, & τροίας κίονα, in aciē Græcorum diutiùs insultantem pati; sic & vocem aliquādiu non emiserit Carolus, quum ita, velut inuisus superis fatísque prohibitus, frustratam vndique victoriæ in Duello, vti consueuerat, assequendæ spem suam videret. Tandem retrocedente paulatim vi doloris, conuersus ad Rolandum, non ignorans, quę eius ferocia atque ingentes spiritus erant, quid expectas, macte virtute, ait, nepos?

Homer. Iliad. α.

Pindar. in Olymp.

Virg. supp.

Rolande, heroum quondam fortißime frustra,
Tantáne tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? Vbi nunc nobis Deus ille magister
Nequicquam memoratus erit? Vbi fama per omnē
Terræ orbem, & spolia illa tuis pendentia tectis?

Tua, tua hæc laus: tua hęc sors inuictis manibus tuis subeunda: te hostis poscit prodigus minarum: te bellua trux compellat; vesanum eius reprime furorem: labentes ac penè oppressos tuorū animos erigere, reficere matura. Agedum, carissime, fortissime Nepos, ito alacris, & spiritus plenus enitere sāguine hostili commilitonibus tuis parētare: tolle moras, pristinæ memor virtutis, memor tuarum Angleriique patris victoriarū: & cùm Duellum hoc inibis, memineris te Francorum spolia, Caroli Magni decus, religionem Catholicam, patriæ salutem in dextera tua por-

tare, simúlque cogita nullam fore tam surdam posteritatem, nullam tam ingratam famam, quæ te in cœlum debitis laudibus non ferat: ipsúmque, quod palmarium est, si ego nō possim, Numen æternum gratiam tibi relaturum sempiternam. Nihil moratus Rolandus deosculatur cum sui demissione carum Imperatorem, equum & arma poscit, maximóque militum clamore & plausu euectus in destinatum certamini locum prorùpit, vbi haud diu cunctatus aduolātem Feracutum, recentiáque spolia ferociter prędicantem adoritur.

——— Quo Pæones arma rotatu, Stat.
Quo Macetæ sua gesa citant, quo turbine contum Achill. 2.
Sauromates, falcémque Getes, arcúmque Gelonus; in fine.

Eadem vi bellator optimus equo sublimis primo die, eodem impetu, atque alacritate immanē aduersarium cædit, concutit, verberat, insectatur. Postridie verò pedestris factus cum hoste, quasi segnitiem diei superioris pertæsus,

Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira:
Tum pudor incendit vires, & conscia virtus. 5. æneid.

Incensum Heroa nec minùs alacriter excipit Feracutus,

Dentibus horrendum stridens, gemináque rotatos
Multiplicátque ictus, rapiunt conamina venti,
Pars cadit in terram: motu Rolandus acuto
Mille cauet lapsas circum caua tempora mortes, Ib.
Auxilióque pedum, sed non tamen immemor artis,
Aduersus fugit, & fugiens tamen ictibus obstat,

Et iam vtrunque labor, suspiriáque ægra fatigant.
Tardiùs ille premit, nec iam hic absistere velox:
Defectíque ambo genibus, paritérque quierunt.

Tandem Gallicus Alcides,

Sen. in Agam. actu. 3. sc. 1.

Cui longa nimiùm parua properanti mora est,

iterùm immodicè venientem & dira parãtem Feracutũ, quâ vi, quâ arte sub stomacho transadigens, & ei feliciter vsurã vitæ detrahens, effecit, vt Galli tam felici omine confirmati in hostem mixtis agminibus irruẽtes, Nageram, quâ data porta, irruperint, ipsámque vrbem penè dimotam, ac suis conuulsam sedibus, barbarorum in cæde ac sanguine natantem exiguo tempore reddiderint. Has & alias plerasque Monomachias omni æternitate, literis, monimentísque decorandas singulari certamine conclusit Rolandus, qui pro sua virili omne Gallici exercitus robur & decus, Gauanloni perfidiâ in Ronciualle trucidatum, vlturus, media cæde se reuulsit, vt Marsurium proditorum ducem teterrimũ sua forti dextera toties barbarorum domitrici, Durenda gladio tot victoriarum confectore vita spoliaret. Quo postemo Duello ex animi sententia peracto, labore & siti intolerabili sibi deficiens ad superos æternùm beatus euolauit. Fuit fuit illa semper, & adhuc est Gallorum proceribus virtus atque animi excelsitas, vt Monomachiæ alia omnia conflictuum genera posthaberent, eâ non modò de vita & regno, verumetiam de fortunis periclitantibus & nominis fama depugnarent. Sed non inuehar

Turpin. Archiep. in Car. Mag. & Sabell. En. 8. l. 8.

vlteriùs,

vlterius, & caussam hanc cæterorum Franciæ Regum authoritate, quod facillimè ac verissimè facere possem, stabilire supersedebo. Nam & euidentissima in medium adduxisse videor, quæ nemo, nisi sit ore durissimo, distorquere poterit, & exploratissima, quę falsitatis arguere nullus vnquam audebit. Quòd si quis erit omnino tam stipes ac truncus, vt hæc non sentiat, aut tam demens pudorísque nescius, vt Regum orbis Gallicani, & eorum quidem omni exceptione maiorum, sanctiorum, potentiorum, virtuti, sapientiæ, & rebus gestis fidem atque authoritatem in Duellorum examine deroget ac detrahat, libenter intuear illud os, cuius impudentiam vbi vobis planam fecero, cætera cogitationibus vestris relinquam. Omitto igitur Reges iam Oratione mea reliquâ. Sed vos, I V D. animis ac Memoriâ tenetote: cognoscitéque simul, mulierum, sexus armorum penè rudis, ac Reginarum vsu, & re ipsâ Monomachiam comprobatam. Etenim si frustra non desudamus, ex grauissimorum virorum, altero in Philosophia morum, altero in Historia Principe, accipimus, Nulli præclusam esse virtutem, omnium faciles ad eam aditus esse, itaut nec sexum respiciat, nec fortunam: Atque vt viri interdum degenerant in fœminas: sic & fœminæ viriles animos & curas induunt, sexúsque melioris fortitudinem præstant: nec sua, vel maritorum vulnera numerare, aut

Senec. l. de Consol ad Marc. ca. 16. &c. Cor. Tac. l. de mor. Germ. ad initium. Item Herodian. in Alex. cap. 134.

exugere exigeréque pauent.

Stat. 1. Syl. Cal. Dec. Satur.

Stat Sexus rudis insciúsque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim ferúmque Phasim
Thermodontiacas calere turmas.

Cuius quidem veritatis testimonia si vllibi gentium vnquam apparuerint, in Gallia certè post omnem veterum memoriam illa peculiari modo emicuisse ausim non dubitanter asseuerare. Sit clara Thomyris illa, quæ Cyro Massagetarum fines trãscendenti viriliter respondit se non impedituram, quominùs de summa totius belli vel vno prælio decerneretur: ac demùm, cognita filij Spargapisis calamitate, solem testata est, *futurum* breui, vt hostem cruoris auidum ad satietatem in suorum sanguine volutaret. Ornetur eximia laude Penthesilea dux Amazonum, quæ *medius in millibus ardens Bellatrix est ausa viris concurrere virgo*; & cum Neoptolemo, Achillis nato fortiter congressa, docuit Myrmidonas reipsa, quód etiam *fæmineo sequitur de vulnere sanguis*. Habeatur Gorgone Leonidis coniux virago fortissima, quæ cum cæteris suæ gentis mulieribus fortiter exosa rubricam, cerussam, inaures, crotalia, purpurissum, specula, volsellas, pectines, spongias, calamistra, viriolas, vittas, mitras, tænias, fascias, vestes impluuiatas, molochinas, caltulas, ostrinas, cumatiles, pallas, ricinia, capitia, penulas, ancillarum, eunuchorũque greges, & cæteras ἀτυχίας κοσ-

Herod. l. 1. & 2.

Dictys Cret. l. 4. Virg. æn.

Sab. En. 2. l. 1. ad finem.

μουμένης delicias, vt loquitur Epicharmus, cum optimis pugilibus manus conſeruit. Ne virtus Camillæ poſterorum reticẽtia ſepeliatur, quæ hoſtium plurimos cęteroqui militiæ peritiſſimos, in Hetruria olimconfecit,

Quótque emiſſa manu contorſit ſpicula virgo, 11. *Æneid.*
Tot Phrygij cecidêre viri.

Anteponatur omnibus Iudith caſtiſſima, *Iudith.* 16.
prudentiſſima virgo, quæ aſpirante Numinis afflatu, Holoferni ceruices quondam viriliter amputauit. Erit profectò inter harum laudes aliquid loci glorię mulierum Gallicanarum: quæ vel ornatioribus verbis eò mihi extollendæ videntur, quòd illæ (Iuditham ſemper excipio) ignaræ prorſùs certos eſſe in vita humana terminos, quos vltrà citráque non poſſit conſiſtere decor virginalis, lineas ſexus muliebris impudenter tranſilierunt: adeout, vel in Italia, vbi quondam ſuus verecũdiæ ac pudori locus fuiſſe dicitur, Seuero imperante, acerrimo cauendum fuerit *Xiphilin.*
S. C. μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μηδαμόθεν μονομαχεῖν. *in Seuer.*
Noſtræ (dummodò illas rudes adhuc, & cæterarum gentium ante cunabula Chriſti quãſimillimas prætereamus, cum quibus olim *Plutarc. in*
exercitui Romano non minor, quàm cum *Mario.*
earum ſponſis pugna fuit: vt potè quæ obiectis vndique plauſtris atque carpentis, altæ deſuper, quaſi è turribus, lanceis, contíſque pugnabant, ac demùm ad vltimam deſperationẽ adductæ *mutuis vulneribus concidebant*) *Flor. l.* 3 *c.*
Noſtræ, inquam, perſpectâ ſemel cautione 3.

Christiana, si quas interdum (vt fit) simultates exercuerint, sui semper similes, Scyllam & Charybdim inter, rectum cursum sequutæ, lites suas summa consensione componendas & decidendas lectissimis Duellatoribus permiserunt. Sic Iuditha, vxor Regis Ludouici, cui clementia & probitas *Pij* cognomen fecerunt, cùm adulterii per scelus & contumeliam vnà cum Bernardo principe, qui Regem ipsum, in Christi militiam annumerandus, lustricum nuncupatorem habuerat, suspiciosiùs accusaretur, oblata cum animo virili Monomachiâ per suppositum Duellatorem, amissam coniugis carissimi, & purpuratorum omnium beneuolentiam recuperauit. Sic regina Theutberga eiusdem flagitii criminosè insimulata, ad præclarissimum hoc certamen, tanquam ad iustitiæ puluinar, & Themidis oraculum, suadentibus Franciæ sapientissimis Antistitibus, confugit. Sic Gondiberga sponsa Rodoaldi Lõgobardorum regis, vt Francico sanguine, sic & fide & religione vnà cum Franciæ matronis consentiens, cùm ægrè ferret se carcere & vinculis multatam esse, quia cum Charello (Pittonem vocat Sigonius) familiarissimo concubuisse credebatur, se primò, castitatémque suam integram ac illibatã sanctissimo Ioanni Baptistæ commendauit, deinde secretis, vt coniectura consequi possum, illius Diui beatissimi adducta monitionibus, Regem multis precibus tandem exorauit, vt

Thegan. 38.

Hinc maurus pro Lothario contra Theutp. & Nicol. Papa ep. 51.

Paul Monac. l. 4. c. 16.

L. 2. Regni Italici.

quod maiorum ſtatutis reo cuilibet nunquã denegatum eſt, ſibi, Charellóque periclitantibus, ſalutem ſuam, famam, & pudicitiam contra inuidos, & obtrectatores ab iniuſtis maculis & ſordibus in Duello vindicare concederetur. Quod cùm iiſdem circumfuſorum nobilium ſuffragiis impetraſſent, eò res proceſſit, vt, maledicis calumniatoribus ipſius Monomachiæ iudicio condemnatis, ambo in Regni ſentina ob ſuſpicionem impudicæ impudentiæ vix locum habentes, rurſùs ad puppis moderamen euecti, omnes in ſuæ innocentiæ & impuritatis admirationem corripuerint. Equidem obruerer, ſi pergere porrò liberet, exemplorum atque authoritatum multitudine, cùm à Regibus, & Reginis, tùm ab eorum liberis repetita, ſi quando videlicet in aliquam ſuorum ſubditorum ſuſpicionẽ venirent. Pergo ad Magnates clariſſimos, omnémque Frãciæ Nobilitatẽ, è cuius caſtris ad coercẽdos Monomachiæ reprehẽſores, nõ mihi difficile eſt quãmultos nominatim proferre Viros huius æui clariſſimos, qui ſuo exemplo infimorũ animos, & minùs erectorum, ad Monomachiam ſubeundam fecerunt maiores. Verùm Hominum recentium, ac domeſticorum authoritate ſuam firmare ſententiam, adulatoris eſſe creditur: cùm & illud incertum ſit, velint ne ii ſe nominari: & nemo vobis magis exploratus & fide dignus, imitationéque futurus ſit, quàm eſt illud, quod primùm quidem in aciem edu-

co,pietatis,modestiæ,fidelitatis, sãctimoniæ, fortitudinis,cæterarum denique virtutũ spe- Sigebert. A.C. 627. cimẽ & exemplar D. Austregisilus, qui Gũtrãno Regi mappam ad sordes manuũ abstergendas prębere solitus,cùm inuidiã plurimorum, ob præclaram suæ vitæ existimationem per omnes Regni partes diffusam,in regia sibi conflauisset, præsente & audiente Guntranno (quid non comminisceris Inuidia, vbi semel hominum mentes occupasti?) Falsarius appellatus est. Quare mortem gloriosè oppetere, quàm talem perferre & quodammodò confiteri sua taciturnitate ignominiam satius esse ratus, more patrio ius Monomachiæ aduersus accusatorem (Betellinus credo vocabatur) à Rege, nec incassùm,efflagitauit. Intereà pridie quàm in locum à Rege concessum Duello pugiles dimicaturi descenderent, Austregisilus multa pecuniâ in pauperum cibos erogata,vocatóque in adiumẽtum sanctissimorum spirituum cœtu, etiam ad S. Marcelli puluinaria supplicaturus accessit. Die postero his septus munimentis, alacri vultu mentéque præsenti cùm in circo magna stipante hominum coronâ hostem opperiretur, accepit eum medio in itinere præcipiti lapsu ex equo defluxisse,ceruicibúsque perfractis animã sceleratã euomuisse. Quæ cùm Francis omnibus innotuissent, & innocentiam suam ex suspicione commentitii flagitii, omníque maleuolorum sermone vendicauit, & Biturigum Episcopus incre-

dibili virorũ omnium in Ecclesia principum consensu declaratus est. Huic succedet pari virtute & sanctimoniâ illustris Auitus Claromontanus, etiam aliquando dignitatem Imperatoriam, mercedem suæ in Duellis præclarè conficiendis experientiæ consequutus. Vnum ex innumeris ab eo celebratis, elegantissimo Sidonii carmine,quia meliùs cũ Cicerone non possum; placet commemorare. Ille igitur audita olim nece sui famuli à Hunno quodam eius gentis, cum qua paucis antè mensibus pacem inierat, interfecti, Sidon. Apoll. Carm.7.

——tandem prorumpit, & arma
Arma fremit, pinguisque etiam cum sanguine fertur
Lorica, & obtusus per barbara vulnera contus,
Atque ab assiduis dentatus cædibus ensis.
Includit suras ocreis, capitique micantem
Imponit galeam, fuluus cui crescit in altum
Conus, & iratam iaculatur vertice lucem.
Et iam scandit equum, vulsisque à cardine portis,
Emicat, assistunt socio virtúsque dolórque,
Et pudor armatas pilo petit impiger alas,
Pugnando pugnam quærens, pauidúmque per agmen
Multorum interitu compensat quod latet vnus.
Proditus vt tandem tanti qui caussa tumultus,
Inquit Auitus, agè, Scythica nutrite sub Arcto,
Qui furis, & cæso tantùm qui fidis inermi,
Congredere armato, multum tibi præstitit ira
Iam mea, concessi pugnam, iubeóque resistas:
Certantem mactasse iuuat. Sic fatur, & æquor

Prosilit in medium, nec non ferus aduenit hostis:
Vt primùm pectus vel comminùs ora tulere,
Hic irâ tremit, ille metu, iam cætera turba
Diuersis trepidat votis, variosque per ictus,
Pendet ab euentu: Sed postquàm prima, secunda,
Tertiáque acta rota est, venit ecce, & celsa cruentum
Perforat hasta virum, post & confinia dorsi
Cedit transfosso ruptus bis pectore thorax.

Aimon. l. 3. c. 91. Austregisilum proximè & Auitum, par illud nobile in eadem fide & iustitia institutum, Thierius Caroli Magni amicissimus, qui Gaualonum in Monomachia secum inita proditionis cōuictum ferocissimis quadrigis in diuersa nitentibus distractum fœdè laniauit. *Appendix Aim. l. 5. c. 13.* Sequitur Bernardus, qui calumniatorem eum, cuius delatione ac maledicentiâ perfidiosè quidpiam aduersus Ludouicum Pium molitus esse credebatur, omni magistratu, atque honorifico stemmate, quia Duellum sibi oblatum neglexerat, mulctari curauit. Inde *Iouius in Consaluo.* Baiardus sub Ludouico xij. virtute militari commendatus, qui Hispanum equitem ex nobili Sotomaiore familia ad singularē conflictum accersitum, neque se promptissimè ad inferendos ictus declinandósque explicātem, gladij mucrone per summam iuguli loricam coniecto, celerrimè confecit. *Gaguin. in Car. vj.* *Anony. A. C. 820.* *Du Tillet in Histor. Franc.* Agmen claudent Oliuarius Clissonius, militiæ Franciæ præfectus, Ioannes à Monte-forti Dux Britāniæ, Comes Beraldus, Guillelmus Montis-signati, Hugo Dux Burgundiæ IV.

Virg. 5. æn. *Multi præterea, quos fama obscura recondit,*

tota

tota, vno verbo, antiqua Nobilitas; ex qua, velut ex Monomachiæ & generosæ virtutis officina, innumerabiles Dynastæ, incertum plures bellatores, an Duellatores, prodierunt, nisi quod vtrumque simul necesse est. Vereor, ne aut molestus vobis sim, IVD. aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si plura ex tā perspicuis fontibus, & apertis cuilibet veteris memoriæ diuersoriis proferre velim testimonia. Quòd si quis eorum, qui me audiūt Viri ornatissimi, fortè miratur, homines nobilissimos, militiæ, non domi vitam agere solitos, in hoc certaminis genus adeò fuisse procliues: is, nisi mea me longè fallit opinio, mirari desinet, vbi concertationes eiusmodi laudatas omninò audierit, à purpuratis Ecclesiæ proceribus, ab Episcopis, Prioribus, Curatis, Abbatibus, ac demùm cęteris, qui in Ecclesiæ puppi sederunt vllius vnquam nominis atque authoritatis. Id enim restare solùm Aduersario videtur, quò quasi in portum, reiectus à cæteris littoribus, confugere, seséque recipere queat: vbi tamen scopulos & cautes offendet eiusmodi, vt non modò ab his crimen resilire videat, verùm omnem inuidiam atque odium in seipsum recidere statim intelligat. Hæc est igitur mea tecum sermocinatio, Accusator. Dic mihi, subscribis Ecclesiæ, cuius semitam planam & rectam optimi Christiani nunquam non tenuerūt? omninò. At velis nolis, faxò deprehendas eam initiasse ritus Duellorum, & pro sua virili parte

admodùm exornauiſſe, vel vt cæcis obſcurata tenebris veritas agnoſceretur, vel vt prædonum & Nenrodũ à patrimonio Chriſti auerteretur ſacrilegium, aut vt honos & fama cuiuſque ſartus tectus à mordacium obtrectatorum maledictis conſeruaretur. Quapropter ſpecta mecum de libris memoriam, & quod nos, alter alteri, ſuſpecti non poſſumus, illud auguſta veterum, & eorum in Eccleſia Procerum canities, quæ Chriſto & integritati propior (nam *Aetas parentum peior auus Tulit nos nequiores*) ſeculis anteactis viguit, in Gallia ab hac lite remotior, decidat arbitrio. Teſtis erit Hugo S. Benedicti ad Ligerim Abbas, ſũmâ religione & clementiâ ſpectabilis, qui Robertum ſui domeſticum Cœnobij cum armigero quodam in Duellum venire iuſſit, quò ſuam libertatem, cui dira minabatur armiger Iſambertus, eo certamine tutaretur. Teſtis Anſelmus Eccleſiæ Laoudunenſis quæſtor, & religioſus, qui cùm aurificem Sueſſionenſem Duello excepiſſet, & ſuam probauit innocentiam, & ſuas ceruices metu legum liberauit. Teſtis Stephanus Aruernẽſis Epiſcopus, qui ſingulari conflictu Guilelmo Doreno, & Amblardo eius fratre ſuperior factus, eorumdem immenſam & inexplebilem accumulãdarum opum auiditatem compeſcuit, hominéſque ſacrilegij cupientiſſimos ad virtutem à vitio, ad rationem à furore, ad humanitatem ab immanitate reuocauit. Teſtis Thierius Abbas Andegauenſis, qui Vicecomitem Aimericum

Hor. 3. Carm. Ode.6.

Anony. de mirac. S. Ben.

Idem in lib. Eccleſ. Laud.

Pet Dam. l.2. c.15.

Nota in epiſt. 38. l. 3 Gefr.

grauem militiam Religioso sodalitio imponere cogitantem Duello refrænauit. Testis Hamelinus Rhedonẽsis Antistes, qui circumfusis vndequaque viris eruditione, prudentiâ, atque authoritate conspicuis, duos Proceres Monomachiæ auidissimos non sine voluptate dimicantes primùm spectauit: deinde illorum discordias in mutuam amicitiam commutauit. Testes Raynaldus Chesnelus Ecclesiæ Xantonẽsis sodalis, & Guilelmus Vindocinẽsis Religiosus, vno eodẽque pugnæ singularis more correpti. Consessus Episcoporum testis ritè atque ordine consummatus, qui lites Theutpergæ cum Lothario, vt iam significaui, & Yuoni à Curtauilla cum Comite Rotro, intercedentes, sano Duelli iudicio permittendas esse sanciuerunt. Testis & decisio querelarum, quæ Bartholomæum Turonensem Archiepiscopum inter, & Richardum Comitem Andegauensem, olim viguerunt. Sic maior Aureliensis Ecclesia Principi Rodolpho accusatori, & Theobaldo vrbis ipsius comiti clarissimo Duellum imperauit. Sic Ionas Episcopus, & Donatus Comes, procuratoribus S. Benedicti ad Ligerim, & S. Dionysij, vnà disceptantibus à Rege præpositi, vbi totam cõtrouersiam cogitatione crebra secum examinassent, tãdem ex Senatus Aureliensis placito illam Monomachiã discutiendam concluserunt. Quid dicam Bestiam, vnum ex Iudicibus, qui huic quæstioni præfuerunt, quia cæterorum conclusionem sua intercessione

Ib. in vetere charta.

Gothofr. Abb. Vindoc. ad Petr. Sãct. l. 3. ep. 36. Yuo Carnut. ep. 168.

Id. ep. 247.

Adreual. l. 1. c. 25. de mir S. B.

Adreual. ib.

labefactauit, effecítque simul, ne Duellum perageretur, mutum & velut elinguem ex improuiso, diuino permissu factũ esse. Quocirca in altum pauorem ille correptus, sibi viribúsque humanis diffidens, in fidem D. Benedicti, misericordiam ac præsidium confugit, cuius in cœnobio cum magna ductus pœnitentia per mensem integrum esset commoratus, linguæ vsum recepit, ea tamen lege, vt ab eo tempore sanctissimum Benedicti vocabulum effari, ne quidem dimidiatum, non potuerit, loquelà ipso offensantis linguæ fragmine grauem dolorem incutiente, qua stupidum ac insolens contra famulos Benedicti carissimos iudicium pronunciarat, vt Adreualdus testis huiusce rei locupletissimus memoriæ reliquit. Quid memorem Priorem S. Petri de Monasteriis, Regi Ludouico, quia Duella eximere cupiebat, diem dixisse, & actionem violatæ consuetudinis coram amplissimo Senatu intendisse, ac demum victoriam caussæ assequutum. Quid loquar duos Armoricæ prouinciæ accolas ferocissimos cum Betto & Guidone Florentinis, singulari pugna manum conseruisse, bona cum venia & arbitratu Cardinalis Gebennensis, qui Gregorij Pontificis legatus id temporis Bononiam Hetruriæ caput longa & graui obsidione fatigabat. Quid repetam Duellum, quo Petrus Aragoniæ, & Carolus Siciliæ ex Francia, Reges fortissimi, dimicandum sibi esse voluerunt, Martino IV. (& quanto Pontifici!) nõ parùm arrisisse? Quid

In Arresto Parlam. Octauarum Candelosæ A. D. 1260. Fulgos. l. 3. cap. 2.

Ant. Floręt. l. 3. c. 4. paragr. 8.

referam Duellum à Nicolao filiorum Ecclesiæ patre amātissimo vocatum esse *conflictum legalē, certamē legitimū*? Quid à Suggerio Abbate S. Dionysij *Legē*? Quid à Roberto literatissimo Rege, & sanctissimo *Legē, quæ dicitur cāpus*? Quid denique à Concilio Salegunstatensi, *Iudicium diuinum* appellatum fuisse commemorem? Vox me citiùs & vires, quàm Patrum nomina deficiant, si vel hac breuitate percurrere velim eos omnes, qui Duellum his aut similibus elogiis decorare voluerūt. Sed ego & quos adhuc percensui, & quos percensere possem, omnes trāsilio, vt ad statas solemnésque veniam cerimonias, quas Maiores nostri, qui neque consilij, neque sanctitatis expertes, ex paruis initiis Ecclesiam tam præclarè fūdatam nobis reliquêre, diuinum hoc Duelli iudicium subituris sapienter admodùm præscripserunt.

Nicol. PP. ep. 51. *Sugg: de vita Reg. Rob. Diploma Reg. Robert.* *Can. 14. S. Agob.* *Ceremonia veterum Duellorum. V. Edict. Phi. Pulcri A. D. 1306.*

Vbi Duellatores Regem, Comestabilem, siue sacri stabuli Comitem, & prouinciarum Præfectos certiores fecerant sui dissidij atque controuersiæ, iubebantur in primis de campo & die certaminis; de manicis, casside, lorica, equis, stragulis, ephippiis: de gladiis, pugionibus, iaculis, hastis, lanceis, cæteiis, gesis: aut si exterorum armis vti magis arrideret; de pilis, phalaricis, semiphalaricis, soliferreis, sparis, rumigestris, falcibus, tragulis, frameis, mesanculis, acinace, sagari, rhompheis, scorpiis, scibonibus, silicibus, verutis, cōtis, sudibus quadrifidis, macheris, spatis, sarissis, lingulis, cli-

Monstra hac verborū plerisque omnibus (cur enim dissimulē) vix vnquam satis in-

tellecta sustulit eruditè, aquè ac laboriosè, ad cap.10. lib.10.Ros. T.Dempſ. πολυΐστωρ, vt de Appione Gel. l.5.ca.14. imò & πολυγραφώτατος, vt de Varrone Cal. R.l.19.ca.21. loquũtur.

maculis;denique de iis omnibus,quę ad Duellũ ritè atque fortiter peragendũ neceſſaria viderentur, coram hominibus ſpectatæ fidei, & eiuſmodi certaminum peritis conuenire. Quibus cautione ſingulari ac diligentia ſumma peractis, diem ſibi à Rege, & cãpi Magiſtris dictum præſtolabantur: ſuæ integritatem cauſſę atque ſalutis Deo immortali commendabant, concredebant: eius miſericordiam, virginis Deiparæ fauorem, beatarum mentium opem ieiunijs, precibus, votis, cilicijs, ſupplicationibus, frequenti pecuniarum in egenos erogatione, vel potiùs effuſione largiſsima ſibi conciliare annitebantur. Etiam noctes atque dies, maximis in vigilijs & obteſtationibus, ſtabant ad S. Dionyſij ſepulchrum: quẽ, vt cæteros Martyres beatos, Diuóſque omnes cœlites, vt pro ſe Chriſto ſupplicarẽt, obſecrabant: audiente ſacerdote, totius anteactæ vitę crimina plena confeſsione Deo patefaciebãt: denique ad treméda puluinaria, ſacram ſynaxim, cœleſtę, inquam, pabulum Angelorum ſuppliciter ac demiſſè accepturi veniebant. Vbi dies certaminis illuxerat, Duellatores ſuis monitoribus armorum ſciẽtiâ cõſpicuis (quos Patrinos vocabant) cęteríſque ſtipati familiaribus domo egrediebãtur, iis, de quibus armis inter ſe pactionem fecerant, bene muniti, & in equis ſublimes. Iter ingreſsi non concitatis equis, quaſi mẽte præ-

Monachus Anonymus Floriacẽſis l. 4. de mirac. S. B. Hiſtor. D. Auſtregiſ. l.1. Petr. Da. l.1.c.15. Chronicum Engoliſmẽſe. Cæſar. l.3. c.18.

Beliſar. Neritinor. dux. l.1. de re milit. c.1. de certam ſing. Ioan. Sareſberg. ep.159. Domino Lexouienſi. Georg. Pachymerius l.1 Hiſt. p.57.

cipites; sed pedetentim & passu incedẽtes grauiori, signũ Crucis manu dextera suo corpori apponebant, secúmque item vexilla, fascias, & cantabra non tantũ simplicis Crucis faciẽ, verùm & Affixi hominis, verique dei, & sãctissimę Virginis, & mentium purissimarũ, & eorum Cælituum, quorum auspiciis ad res suas aggredi solerent, omninò imitantia religiosè portabant. Ita pleni & mixti Deo, inde animos alacres se pręcerpere, suísque cautelam periculis, vulneribus medelam, consilium præstigiis, laboribus leuamentum sibi euenire rati, in campum descendebant: Et quãprimùm in eo loco Regẽ intuiti, cùm magno Comestabili, Mareschallis, magnis Camerariis, magno Scutifero (hos ego magis Latinè soleo nũcupare, Præfectum prætorij, Magistros militũ, Primicerios cubiculi, Protospatharium) cæterísque Proceribus illustrissimis; tùm publicis præsidiorum copiis circumfusum, qua poterãt sui demissione, consalutabant: Atque simul porrectis in cœlum manibus, genúque flexo connixi, Deum pura mente venerabantur, & suæ testes Innocentiæ Superos omnes, Numen æternum, Virginem matrem, & D. Georgium equitum vindicem præpotentem contenta voce inclamabant. Tum cæteris locum daturi cerimoniis, tabernaculum prouocanti ad dexteram Regis; defendenti verò ad læuam in campo collocatum adibãt. Interim eorum Aduocati, quos iam patrinos appellauimus, & Iudi-

V. totum Edictum Regis Philipp. 1306.

ces conſcripti locum ſiue curriculum generoſis pugilibus quadraginta pedes in latitudinem, & octoginta in longitudinem deſignabant, & cuique portionem Solis, campi, & ventorum faciebant: Celebratum, opinor, Veterum in Duellis vſum imitati. Namque Homerus omniſcius, Iliados γ, vbi Paridi & Menelao eam pugnam inituris, huic Vlyſſem, illi Hectorem, patrinos ſeu campi Magiſtros dedit, tandem hos facit

3. Iliad.

Metiri campum in primis, & dicere fines,
Atque ære inſignem in galeam dimittere ſortes,
Primus vter rigidam ferro contorqueat haſtam.

Græca mittere non amo, quia reclamante Rhetorum turbâ, orationem Græcis intertextam floribus libenter, ſi vos ego bene noui, accipere conſueuiſtis:

Ἕκτωρ δὲ Πριάμοιο πάϊς, καὶ δῖος Ὀδυσσεύς,
Χῶρον μὲν πρῶτον διεμέτρεον. αὐτὰρ ἔπειτα
Κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον, ἑλόντες,
Ὁππότερος δὴ πρόσθεν ἀφείη χάλκεον ἔγχος.

Atque apud alterũ Homerũ, ſed Mãtuanũ ἐξοχώτατον τῶν κατ' Ἰταλίαν ποιητῶν, θαυμαστὸν ἄνδρα, καὶ πάσῃ παιδείᾳ κεκοσμημένον σοφώτατον ποιητήν, vt ait Euſebius,

Euſeb. Cæſarienſ. in Conſtant.

5. æneid.

Tum ſatus Anchiſe cæſtus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum intexuit armis.

Sed, vt ab excurſionibus & ſaltu, quod aiunt, ad metas & cancellos vtique redeamus, vbi Iudices & Patrini, vt omnia quàm rectiſſimè agerẽtur, omni curâ prouiderant, è tabernaculo qui prouocarat, pedibus, galeâ

ſolùm

solùm erecta, & totus in armis cum suis monitoribus atque consiliariis egressus, nunquam signo crucis prætermisso, ad Regis aut Iudicum selectorum tribunal progrediebatur, ad quod sistebat se, atque genibus humi positis supplex abiiciebat, in aureo subsellio, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, sed præsertim sanctæ Crucis, & Iesu Christi ligno affixi figuram imitante. Ad dextram eius prouocatoris sedebat Sacerdos, siue aliquis Religiosus pietate & doctrinâ singulari, qui hunc in modum Duellatorem alloquebatur. Ecce, Vir clarissime, Eques fortissime, ecce Homo, ecce Deus, ecce Deus-homo, qui vt te liberali caussâ manu assereret, cùm esset omnium dominus, è cœlo in terram delapsus, serui formâ assumpsit. Ecce qui pro te immanem patibuli machinam humeris primò sustinuit, mox in eam sublatus, per scelus & immanitatem pro bellariis fel, pro infulis & tiaris spineam coronam, pro trabea ludicram purpuram, pro sceptro aureo, arundinem, pro asseclis vmbras reuiuiscentes, pro satellitibus latrones, pro manipulis tortores, pro vnguentis & odoribus cruorem lacerum & fœtorem, pro festis ignibus tenebras, pro symphonia blasphemias, pro choreis terræ motum, pro conchyliatis peristromatis ossa cadauerum, pro bulla denique pendente è monili plagam luculentam pectoris adeptus est. Ecce, inquam, qui tuæ cupidus salutis,

ſuæ prodigus, dolorum & cruciatuum pondere oppreſſus, cùm diu quæſiiſſet, vbi caput ſuum reclinaret ,neque locũ meliorẽ ad quietem nactus eſſet, quàm mortem, illam mortem vicariam, in eius tandem gremio, ceruice in latus deflexa, quieuit, & *inclinato capite tradidit ſpiritũ.* Agè ergo,ſi quid veritatis & iuſtitiæ tuę cauſſæ ineſſe putes,eius opẽ implora,fauorẽ obteſtare,vinces profectò. Sed vide quid agas,quã verum, quàm ſanctũ iuſiurandum iures. Si iuſtus es, eum iuſtitiæ aſſertorem habebis: ſi periurus, quod abſit, atque fidei & religionis inops; Magna,mihi crede, certáque vulnerum, fugæ, atque ignominiæ tempeſtas non ſolùm in pręſens, ſed in omnem tuis ceruicibus impẽdet æternitatem. Quare ipſum per conceſſam Monomachiam tuę cauſſæ æſtimatorem æquiſſimum ac ſolertiſſimum opperire, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, qui tenebris intereſt, intereſt cogitationibus humanis, quaſi alteris tenebris ,qui denique in omnium mores, actus omniũ,verba & conſili adiligẽter inquirit.Hęc vbi Sacerdos præſente & inſpectante toto populo, non ſine affectu, & magna auditorum cõmotione pronunciaſſet, Mareſcialus, ſiue Caſtrorum Præfectus, vtramque manum prouocãtis,ferreis indutas manicis, ſuis manibus amplexabatur, dextrámque ad Crucem, ſiniſtram verò ad auguſtum *Te igitur* admouẽs,rurſùs ab eo ſciſcitabatur, An paratus eſſet ſuæ diſceptationis æquitatem ſacramẽ-

to ſtabilire: cui non repugnanti, his vocibus præibat, quæ eſſet dicturus. Ego, qui Duellum aduerſario primus indixi, auguſtiſſimam hanc Seruatoris mei Ieſu Chriſti effigiem teſtor: teſtor cruorē illū delicatū & regium, qui de innocentis Agni corpore lacerato fiſſóque ſcaturiit: teſtor & ſanctiſſima Euāgelia, quæ hîc lubens intueor: & Fidem, quam ego Chriſtianus profiteor: & ſacrum Baptiſmatis lauacrum, quo à meis incunabilis ope diuina ſum intinctus; teſtor, inquam, clamóque, quod facio, me iuſtitiæ tuendæ, ac iniuriæ à me propulſandæ cauſsâ facere, ſimúlque iure optimo ad hoc diuinum Monomachiæ iudicium accerſire inimicum, utpotè perditum ac ſceleratum proditorem (aut homicidam, ſacrilegum, inſidiatorem, inanem fidei, totum ex fraude & mendacio compoſitum, prout diſſidij cauſſa ferebat) qui per ſummam iniuriam ac proteruitatem huius pugnæ ſortem mecum experiri audet. Quod illi planum faciam ac apertum hodierno die, non illa ioculari pugnâ, quâ inertes velitantur in compitis, ſed iſta præclara & acri, qua iam congrediemur in deſignato curriculo, *Pedes pes, denſúſque viro vir.* Vbi victoriam ego non meâ prudentiâ, neque humanis conſiliis aut viribus fretus mihi polliceor, ſed multò magis magno, & non dubio Dei optimi, iuſtiſſimi, Virginis ſacratiſſimæ, Georgij equitis beatiſſimi, Diuorúmque omnium adiumēto: quibus ego ducibus in hanc ſpem ſententiám.

que ſum non dubitanter ingreſſus. His aut non diſſimilibus verbis poſtquam ſacramentum ſuum prouocator cõceperat, rursùs ſanctiſſimis ſimulachris, quæ aderant ſuauiſſima & venerationis pleniſſima oſcula impingens, retrò abibat in tabernaculum, cum iis, quorum comitatu venerat circumſeptus. Succedebat Accuſatus, qui eadem penè dictione, iiſdem cerimoniis, præeunte ſemper Caſtrorum Magiſtro, ſuum dabat iuſiurãdum, ſéque optimo iure inniti ſignificabat. Quæ omnia, & alia pleraque, ſed nihil ad præſentem quæſtionem facientia, vbi ſumma religione & obſeruantiâ ſemel, ac iterùm, & tertiò, ne quid per incuriam ac temeritatem excidiſſe putaretur, executi eſſent Duellatores, mox repetitis equis, ſignò certaminis manicarum proiectione facto, & hac verborum formulâ, ter à Caſtrorum Magiſtro iterata; *Sinite abire optimos Duellatores: Sinite abire optimos Duellatores; Sinite abire optimos Duellatores*: illi cõflictus auidiſſimi, vterque in alterum toto impetu, & equo admiſſo ferebatur, dulce ratus mortẽ pro laude paciſci, ſanguinémque omnem honoris tuendi, & excutiendæ, eliminãdęque veritatis ergô fortiter oppignerare. Hæc habuimus, IVD. quę de cerimoniis Duellorum vobis modicè ac breuiter exponeremus, neque enim omnia in hunc locum congeri oportuit. Sed ex immenſa eorum copia, quæ occurrebant, hæc ſatis eſſe ad præſentem dubitationem & ſcrupulum ex animis eorum, qui me audiũt, euel-

lendũ, arbitratus ſum. Vos autem, P. A. etiam nunc ambigite, ſi poteſtis, cui maximè ſuffragetur ea, quæ ad Deos proximè accedit, veneranda Francorum antiquitas. Mihíne, qui Duellorum vſum vel primis huius Imperij Moderatoribus fortiſſimis, Chriſtianiſſimis, Reginis prudentiſſimis, omni omnino Nobilitati, Epiſcopis denique, & Abbatibus, & iis, qui in Eccleſia primas vnquam tenuêre, acceptum referendum eſſe contendo: An accuſatori, qui vel domi cæcus nobis ſuccenſet ac indignatur, quòd diſruptis, vt ait, iuris gẽtium ac conſuetudinis Gallicanæ clauſtris, impunè Duella celebramus? Verumenimuerò, Iudices, plurima in hoc iudicio videntur acerba atque iniqua: tamẽ hoc nihil neque miſerius, neque indignius proferre poteſt Accuſator: Maiorum acta æmulari poſteris nõ licet. Natos parentum moribus ac ſtatutis inſiſtere, vt vbiuis terrarum laudi ducitur, ſic in Francia capitale cenſetur, ac indicium certiſſimum temeritatis. At certè Viri ſapientes & eruditi longè aliter de hac re iudicarunt, qui non modò imitari homines probam & æquam Parentum conſuetudinem, ſed cuiuſmodicúmque illi fuerint, tamen de eorum veſtigiis ac erroribus, ſi qui ſint, decedere vix oportere cenſuerunt: alij, quia leges à Principe auctoritatem, robur à conſuetudine ſortiuntur, vtriuſque contemptum crebram adferre legum mutationem crediderunt: alij tutiùs eos degere, qui iiſdem ſtatutis, etiam paulò ini-

Cic. pro Cluentio.

Prudent. in Martyre Rom.

Thucydid. l. 3.

quioribus, vtũtur constanter, eodémque modo Rempub. capessunt, quàm qui mutationibus gaudent, literis consignauêrunt. Quid? Aristoteles, Peripateticorum Princeps, qui acie mentis omnium rerum vim naturásque vidisse perhibetur, vbi legum emendatio parum emolumenti, consuetudo facilè dirimendi leges ex emendatione orta, incommodi plurimum allatura videatur, ferri præoptat quosdam magistratuum & legumlatorum errores, quàm ciuibus ansam præbere sugillandi magistratus. Ὅτι τὸ ῥαδίως μεταβάλλειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων νόμων εἰς ἑτέρους νόμους καινούς, ἀσθενῆ ποιεῖν ἐστι τὴν τοῦ νόμου δύναμιν. Nos, pro Accusatoris arbitratu antiquissima Fräcicæ nobilitatis instituta disiici, dãnari patiemur, vt magno quietis publicæ malo, nec mediocri vecordiæ ac timiditatis increméto pristina Gallorum magnanimitas sensim abiiciatur? Hospes Atheniensis Cliniam atque Megillum, alterũ Cretensem, alterum Spartanum, docet apud Platonem, argui non posse ac ludibrio haberi vetustatem sine maxima pernicie Rerũpublicarum. Μεταβολὴν δὴ πάντων πολὺ σφαλερώτατον εὑρίσκομεν ἐν ὥραις πάσαις, ἐν πνεύμασιν, ἐν διαίταις σωμάτων, ἐν τρόποις ψυχῶν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐ τοῖς μὲν, τοῖς δ᾽ οὔ. Nos Monomachiam vnà cum purissima religione in Francia natam, in contemptum abire permittemus? Ille puerilibus in ludis statis ac immutabilibus credit momentum esse positum non leue ad securitatem legum ac imperiorum: Ταχθὲν μὲν αὐτὸ, καὶ μετασχὸν τοῦ τὰ αὐτὰ κατὰ

2. de Rep. cap. 9. ad finem.

Περὶ Νομοθεσίας. Dialog. seu l. 7.

τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως, ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς παίζειν τε καὶ εὐθυμεῖσθαι τοῖς αὐτοῖς παιγνίοις, ἐᾷ καὶ τὰ σπουδῇ κείμενα νόμιμα μένειν ἡσυχῇ. Nos priſcam Duellorum rationem, quâ indolis Gallicanæ exercitatio, & armorũ curricula continentur, repentè neſcio quo terrore commoti expungemus. Ille, ſi noua rei cuiuſpiam varietas excogitetur, ſi in veſtimentis, in coloribus, in omni inſtructu & ornatu aliud inducatur, quàm in veteri conſuetudine poſitum ſit, nullam peſtem ciuitati vniuerſæ cõtigere poſſe capitaliorem declarat. Κινούμενα τὰ αὐτὰ καὶ καινοτομούμενα, μεταβολαῖς τε ἄλλαις χρώμενα, μήτε ἐν σχήμασι, μήτε ἐν τοῖς ἄλλοις σκεύεσιν ὁμολογουμένως αὐτοῖς ἀεὶ κεῖσθαί τι, τὸ εὔσχημον καὶ ἄσχημον: τούτου πόλει λώβην οὐκ εἶναι μείζω φαῖμεν ἄν, ὀρθότατα λέγοντες. Ib. ſupra. Nos eum quieſcere poſſe arbitrabimur, ſuíque voti cõpotem (quod tamen non vereor) viuere contentũ, qui ne conſuetudinis quidem alicuius antiquitati reuerentiam vllam tribuendam eſſe putat? Ille ciuitates tunc demum fore beatas prædicat, cùm quibus in legibus educati fuerint ciues, eas nõ intermiſſo cultu venerabuntur, horreſcéntque vehemẽter, ne præſens Reipubl. ſtatus labefactetur. Οἷς ἂν ἐντραφῶσι νόμοις, καὶ κατά τινα θείαν εὐτυχίαν ἀκίνητοι γένωνται μακρῶν καὶ πολλῶν χρόνων ὡς μηδένα ἔχειν μνείαν μηδὲ ἀκοὴν τοῦ ποτὲ ἄλλως αὐτὰ σχεῖν, ἢ καθάπερ νῦν ἔχει, σέβεται καὶ φοβεῖται πᾶσα ἡ ψυχὴ τό τι κινεῖν τῶν τότε καθεστώτων. Nos rabulas & formularum cantores neſcio quos, ſuam vmbram fugientes, & quicquid increpuerit, pertimeſcentes, de improbãdis Duellis, ante memoriam hominum

vſitatis, audiemus? Hæc Philoſophi de Maiorum auctoritate. Quid Medicinæ profeſſores? Illi humana corpora ex diuturno ciborum quorumdam ac potuum vſu, vtpotè conſueto, familiari, & amico cõcreſcere admodùm, & delectari volunt, experientiámque rerum magiſtram de hac aſſertione teſtantur. At ſi ex aliqua probabili cauſſa ad aliam cogantur trãſire diætam, mox æſtu febríque iactãtur, querquero quatiuntur, doloribus lacerantur, in morbos denique incidunt perniciosiſſimos, ex quibus recreari atque conualeſcere neutiquam poſſint. Nos contrà innata ingeniis noſtris Duellorum ſemina, paruulos nobis à Parentibus cõceſſos igniculos, ſingularium certaminum amorem, quem cum lacte nutricis ſuxiſſe videmur, contrariis moribus opinionibúſque deprauatis ſic celeriter atteremus, extinguemus, effundemus, vt nuſquam naturæ vis lumenque appareat, vt nuſquam in mentem veniat laudabilis parentum noſtrorum exercitatio? Sim longus licèt, attamen præclarum Auguſtini, quia maximi in Theologia Christiana Principis, teſtimonium ſilentiõ tranſire non poſſum, qui, cum Deo, Pædobaptiſmum probaturus, hoc eſt, vndam ſalutarem, ὀρχίφωτον, canalem gratiæ deriuare in infãtes Chriſti merita, quamuis nec animo credere ad iuſtitiam, nec ore confiteri queant ad ſalutem, non aliundè argumentum à ſe validius depromi poſſe cenſuit, quàm ſi planum faceret, nulla vnquam extitiſſe ſecula, quibus infante

Plato. de Leg. l. 7.

l. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 24.

infantes miselli, paruuli ad nouum & diuinum ortum fonte sacro non abluerentur. Nobis Duellorum patronis, postquam superiora repetendo ad ipsa ferè mundi primordia in Cœlo, ac in Terra, &, quod caput est, ad Clodoueum in ipsis fidei Christianæ natalibus, ad successores eius præstantissimos, ad Antistites Religionis, & alios vitæ sanctitate celebratos homines in Francia, huius exercitationis originem referri posse docuimus; verendum erit, credo, ne caussæ victoria nobis surripiatur: in Gallia præsertim, vbi prodigium atque portentum habetur maximum, aliquem reperiri humana specie & figurâ, qui, quæ parẽtes fecerunt, demoliatur: quæ religiosè obseruarunt, insectetur: quæ coluerunt, auersetur: quæ sciuerunt, infringat ac detestetur. Disputationis igitur meæ summa eò redit denique: Τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σεαυτοῦ παῖδας. *Isocrat. ad Dem.* Alioqui, Iudices, si maligna nescio qua mente impulsi, Duellorum vsu contra Maiorum arbitrium nobis vsquequaque interdixeritis, futurum erit profectò, *Idem Perion. vertens.* vt quæ vos in hunc vsque diem, & in posterum per sãctitatem atque summam iustitiam *Arist. 2. Politic. c.6.* more vestro sancieueritis, ea pòst futuri nepotes, hoc vno quasi præiudicio & exemplo confirmati, per scelus atque audaciam antiquare non vereantur. Quod ne contingat, IVD. vos hodierno die vestra sapientiâ atque auctoritate omnino prouidete. Sed dicet aliquis, detur, quod nunc inficiari nemo

poteſt,cœlum terrámque,nationes proximas, remotas, & vniuersā penè antiquitatē Duellis non repugnare: Saltem leges,quibus nihil eſſe derogandum tu ipſe inclamas, Reipub. Gallicanæ primigenias,Ordinúmque grauiſſimorum, ſanctiſſimorum,qui ſingulis in vrbibus primariis per totum Regnum olim extiterunt, placita & ſanctiones à Duellatoribus negligi violaríque fatearis, neceſſe eſt. Audio,aliquid profert, quiſquis ille ſit,quod ad rem vllo modo pertineat, eóſque ſuſcitat Zephyros, qui me ad portum ex longa nauigatione velis apertis proficiſcentem rursùs in altum poſſent reiicere,niſi huic cauſſæ præeſſe Iudices viderem,non in foro hebetes, non rudes leguleios, aut in rationariis veterū ſtatutorum codicibus euoluendis inſolentes:ſed eos, qui vt eruditi à ſtudiis liberalium doctrinarum, ſic à diuturno aſſiduóque magnarum rerum vſu periti, ac totius ferè antiquitatis memoriam conſeruantes, quid leges parentū,& Senatus ampliſſimi prohibuerint, quid probarint, & ab interitu ſæpiùs vindicarint, optimè recordentur. Quare, qui orationem hîc & operam in re minimè neceſſaria abuti concupiſcit, dicat ille ad inanem ſermonis ſpeciem atque pompam, non tātùm legibus Gallicanæ, ſicuti mox aperiam, aut alterius cuiuſuis reipub. inniti Monomachiam, verùm & illas huius beneficio quondam iuſtis examinatas ponderibus,atque ab adulterinis commodùm ſeiugatas. Dicat olim exortâ diſ-

ſenſione inter potentiſſimos imperij Romani duces atque coryphæos de iure ſucceſſionis, Iuriſconſultis maximis, clariſſimis, in tanta quæſtione conniuentibus,ſeu potiùs omnino cæcutientibus,tandem Othoni. I. Imperatori ſapientiſſimo; cæteriſque Procetibus, qui frequentes aderant, viſum eſſe accuratiſſimam huius veritatis inquiſitionem permitti oportere iudicio Duellatorum, & ſtetiſſe victoriam à parte illius, qui cum aduerſario congreſſus, æquum eſſe ſuſtinebat,vt fratrum liberi cum patribus in hæreditatis communionem venirent. Dicat,ſub Friderico. I. cùm ambigeretur, An necis Principum Germanorum & vitæ licentia penes Imperatorem eſſet,extra ipſius principis,qui reus citaretur, ditionem, ac limites,magnamini Duellatoris virtute atque opera *luce* clarius id eſſe factum, quod anteà nec ſyllabarum aucupes, nec actionum prę cones,nec iuriſperiti,quotquot in memorias prodierant,clariſſimi,decidere auſi fuerant. Dicat quoque, vt Monomachiam legibus exterorum eſſe confirmatam appareat,legem eſſe apud Moſchos(gentem earum dominam terrarum, quas alluit hinc glacialis Oceanus, illinc Turci & Poloni claudunt, ab ortu audaces Tartari,ab occaſu Sueciæ Monarcha & Liuones aſpiciũt) quæ lex præcipit,vt,ſi quando ſentẽtia à Magiſtratibus, vel etiam ab ipſo Duce,cuius authoritatem nihilominùs maximam eſſe declarat *Magni* cognomen, in foro pronunciata

Vincẽtius l.24.c.70. Vitichindius l.2.

Abbas Vrſpergenſis.

Olaus Archiep. Vpſalen. l.1.c.20.

Ortellius 61.tabul. & Mag. 27.

litigantium alteri minùs æqua videatur, tota disceptatio quamprimùm Duello permittatur: quíque armis vicerit, ille caussam vicisse dicatur, omni spe coram altero prouocandi sublatâ. Dicat Frothonem III. Regem Danorum, de quauis controuersia Duello decernendum sanciuisse, speciosius esse pugnâ singulari, quàm iurgiis forensibus cum aduersario confligere ratum. Dicat Reges in Longobardia quamplurimos, & Agilulfum præ cæteris ius ambiguum de possessionibus, impressásque scelerum grauiorum maculas in Monomachia solennibus cerimoniis instituta discuti, deleri suis legibus imperasse. Dicat priscos Germaniæ Magistratus eodem modo suam Rempub. faustè fortunatéque lõgissimo temporum interuallo gubernasse: apud quos si quæ interdum exorirentur decertationes, mox Duello pro more indicto, Senatus, populúsque vniuersus, ac sacerdotes, qui frequentes illud spectaturi conuenerant, interim vt Salica lege cautum erat, Deũ Diuósque omnes obtestabantur, grauissimâ confessione memoriam renouabant beneficiorum, quibus à Deo immortali, vrgente pari occasione, se affectos fuisse meminerant. Communes denique illorum preces ac vota eò decidebant, vt qua benignitate & iustitia Deus priores diremerat Monomachias, eadem & præsentis Duelli victoriam ei tribueret, qui suum ius duntaxat ipso in conflictu tueri niteretur. Dicat hãc quoque apud eosdẽ

Saxo l. 5.

Alciatus I. C. l. de sing. cert. c. 4. & Bernard. Saccus l. 9. Ticinensis hist.

Auentin. l. 4.

esse auspiciorum obseruationem, qua grauium bellorum euetus explorant. Eius nempè gentis, cum qua bellum sunt inituri, captiuum quoquo modo interceptum, ab illis cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committi, vt victoria huius vel illius (cum Tacito dixerim) pro præiudicio accipiatur. Dicat, quò nihil de Germania prætermittatur, illud quoque ea in gente vsitatum, vt si publicis in comitiis (quod sæpè contingebat) duo Imperatores suffragiis paribus renunciarentur, Illi quamprimùm, coram vniuerso, qui ad comitia magno numero cõcurrerat, populo, Monomachiâ inter se conserent, & penes victorem summum imperij moderamen relinqueretur. Dicat lege Othonis IV. in Romandiola (Galliam togatam veteres apellabant) vno eodémque Italorum Principum assensu, nec reclamante, imo sciente ac, mirum! conspirante Pontifice summo Ioanne xiij, totáque synodo, quæ per illud tẽpus Rauennæ conuocata fuerat, statutum esse, ne deinceps vniuersa in Italia, nedum iis oris, in quibus ius Romanum, hoc est, Iustiniani sanctiones vigebant, vlla iureiurando disidia more veterum, sed Duello componerentur; non dicam plebeios inter ac Optimates, verùm etiam inter Episcopos, Sacerdotes, & eos, qui honestissimum Ecclesiæ locum occupabant. Denique dicat Corben & Orsuam, germanos patrueles: Atislum Suetiæ, & Frouuinum Iutię Monarchas:

Corn. Tac. l. de mor. Ger.

Alber. in Dictionario: cuius legis exẽp. Cranz. in Sax. l. 9. c. 8. submiństrat. Hotoman. ex Lombard. l. 2. ti. 54. l. antiquus. Sed fidem tuam, Lector, huic auctori in Papali caussa semper astringas caue.

Tit. Liu. l. 28. Cran-

xit l. 1. c. 4. & c. 22. Dub. l. 5. Polyd. Virg. l. hist. Angl. 7.

Radislaum Gurimsem, & Venceslaum Boëmorum Principes: Hundingum Saxoniæ, & Roheum Daniæ moderatores: Edmundum Anglorum, & Canutum Dacorum Reges, non maiorum instituta, non leges patrias, non grauissimos Iurisperitorum consessus, non alium Magnatum orbis terræ, Imperatorum, Præsulum, Pontificúmve, quàm Martem singularem, seu Monomachiam suorum discidiorum Iudicem, idque felici exitu olim selegisse. Hæc, inquam, & cætera, quæ ex aliarum gentium annalibus in hanc rem depromi possunt innumerabilia, congerat, qui volet in caussa tam facili eloquens esse, Duelláque statutis & legibus diuersis corroborare. Ego verò religione officij astrictus, conceptam solùm ineptè dubitationem, priusquam insideat atque inueteret, penitùs eluam, nec me, aut sponsorem meum appellari sinam: quin, vt bona nomina consueuêrunt, nulla pręstituta die, vltrò fidem meam paulò antè datam liberabo. Primùm quidem id, quod non segni (absit inuidia verbo) antiquitatum Francicarum lectione adeptus sum, libenter eloquar: Salica lege, quæ in ipsis nostræ dignitatis regiæ natalibus instituta est, quæque viros, si nomina illorum ad Germanorum amussim examinemus, *Vuisogastum* ob sapientiam, *Bodogastum* ob legum ferendarum peritiam, *Salagastum* ob equestrem disciplinam, *Vuindogastum* ob victoriam, omni laude atque veneratione cumulatos, habuisse dicitur

Nā Gast Germanis & hospitem, & Venerandum notat. Vuis, sapiens. Bod, lex. Sal, sella equestris. Vuin, vinco significat.

authores ; ea, inquam, lege Salica sancitum habemus, vt qui è Duello victor redierit, prostrato Aduersario testiculos (verecũdiam præfatus dixerim) auellat, oculos effodiat, caput ceruicibus abscindat, idque infixum gestet in pilo arrecto, ac tandem vbi voluerit, præfigat.

Bet. Fr. l. 2. *Lex Sal. tit. 69.* *Thom. de Vualsenga. A. D. 1076.*

Quin ipsa arrectis, visu mirabile, in hastis
Præfigant capita, & multo clamore sequantur.

Virg. 9. æn.

Quòd si quis illud absque permissu Victoris, aut Iudicum concessu inde asportet, ei mulcta quindecim aureorum, quos *Salios* nũcupabant, ex legis imperio & prescripto irrogetur. Pharamundum huius legis fautorem atque Principem, aliquantò pòst 100. annis secutus est Gõdebaldus, qui altera sanctione longè pulcherrima, Francorum æquè ac Burgundorum animos in maximum Duellorum amorem cõuertit. Euoluat, cui otium erit, probatissimas Caroli Magni, & Ludouici Pij constitutiones: eas cum superioribus liquidò intelliget penitùs cõsonare. Quid Philippus, cui *pulchrum* cognomen apposuit antiquitas? *Cùm paucis antè annis, publicæ salutis caussâ, vt sperabamus.* Iam ergo fateris, Rex maxime, te spe tua decidisse, frustráque Duellorum abrogationem procurasse. *Singulares pugnas Edicto sustulissemus, vnde multas proditiones, & alia eiusmodi dictu nefanda in subditos redundare vidimus.* Non potest igitur fieri Duellorum interdictio absque magnis Reipub. turbamentis. *Sed vt ansam maleficiis antedictis de-*

S. Agob. ad Ludo. Imperat. *Carol. Magn. l. 1. c. 63.* *Edictum Ph. Reg. A. C. 1306*

trahamus: Si Duellorum interdictum, scelerum plurimorum caussa est, ac seditionum origo; abrogetur illud, tollentur simul effectus, ac scelerum vacatio, ingénsque malacia & tranquillitas surget in æquore Gallicano. Redeamus ad Edictum. *Ita superius placitum temperamus, ut quando instabit homicidium, aut proditio, aut alia quæuis incommoda, excepto latrocinio, &c.* tunc liceat *iis Duellum indicere, quorum intererit disceptatio.* Mitto reliqua dicere, quibus Duella probantur & laudantur. Cõsilium quippè fuit solùm aperire legibus ac edictis Regum maximorum nostram caussam omnino confirmari. Quid Iudices? Næ illi quondam dubiũ fecerunt sępiúsne Monomachiam aliis patefecerint, an suo exemplo ad eam cæteros adhortati fuerint, an denique suis consultis, quominùs abrogaretur, effecerint. Audio enim Curię Parisiensi è Repub. visum esse sub Carolo VI. vt duo viri gloriâ clari, atque authoritate graues in suburbiis S. Martini ad Parisios hoc insigni prælio vnâ decertarent. Audio eundem Senatum Principem, cùm sibi conscius esset etiam Iudices & quosuis Magistratus, quibus æquitas sententiæ nõ liqueret, in singularé acciri posse concertationem, Guilelmum tamen Marsiliũ Senatorem amplissimum, & ad Duellum prouocatum, peculiari quodam beneficio iis soluisse legibus, quæ neminem ab eo certamine in vlla vnquam memoria exemerant. Quid apertius, proximius, certius dici aut excogitari potest?

Froissard. tom 3. & Guagrin. in Car. vj.

Chopinus de Domanio l. titu. 26. parag. 15.

test? Eccè Ludouicus Rex,

Quo nihil maius meliúsve terris
Fata donauêre, boníque Diui:
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priscum:

Hor. Car. l. 4. od. 2.

(vt de Principum maximo verè vsurpem, quæ multis antè seculis de Augusto minùs æquo iure luserat lyricus Vates) Ecce, inquam, Ludouicus, dum ad proferendos religionis Christianæ terminos magnum & diuturnum bellum cum Othomanorum gente appararet, præcepit animo Duellorum frequētiam nescio quid incommodi tam laudabilibus consiliis allaturam: quam ob rem cauit Edicto, ne quis inconsulta Maiestate alterum ad Duellum prouocaret. Quid tunc temporis Curiarum Curia, solertissima iuris interpres, firmissimum legum propugnaculum, asylum afflictorum tutissimū, Nobilitatis Gallicanę præsidium ac stabilimen, verbo dicam, senatus Parisiensis quid excogitauit? Censuit Regium Effatum benigna cum interpretatione excipiendum, ne dicam irritum faciendum: Duellorum scilicet abrogationem ita esse accipiēdam, vt illa per Curias & municipia Regiæ Maiestati proximè vectigal pendētia locum haberet posthac, non autem per prouincias & ditiones, quarum administrationem penes magistratus alios, & summos Principes esse constaret. Quid est quęso, IVD. Duella, nisi verbo, saltem reipsa fulcire, ac Senatusconsulto stabilire, si hoc non est? Eorum præ-

Nangius in Chronicis A. D. 1260.

Arrestum Parlam. in Octauis Candelosa. A. C. 1260.

ſertim vſum in iis tueri ac conſeruare prouinciis, quarum circuitu tota penè imperij Gallicani amplitudo per id tempus circunſcribebatur? Quid feciſſet Senatus, Principe ſummo de vſu Monomachię inſtaurando aut confirmando referente, cùm, Maieſtate Regis, regis, inquam, Ludouici, id eſt, maximi & ſanctiſſimi non ſine cauſa obſiſtente; aditum ad ſingularem pugnam nobilibus Frãcis ſemper patere voluerit? Equidem quò longiùs progredior, Iudices, eò mihi maior & vberior copia ſuppetit memorandi leges & inſtituta veterum Gallorum, quibus, velut cotibus firmiſſimis, Accuſatoris gladios in Duellatorum iugulum diſtrictos retundere facilè ac debilitare poſſem. Sed & temporis anguſtiæ, & veſtra in diſcutiendis quibuſlibet controuerſiis explorata perſpicacitas, iam ſatis multa de cauſſa, extra cauſſæ neceſſitatem etiam nimis fortaſſe multa à nobis pronũciata fuiſſe denuntiare videtur. Atque vt A. Varius iudex apud eloquentem Philoſophum, dicere con-
2. de finib. ſeſſori ſolebat, cùm, datis teſtibus, alij tamen citarentur: aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſatis ſit: Sic ego omnis generis argumentorum ſatis, quibus Duella de rebus maximè obſcuris, vt antè dixeram, iiſque grauiſſimis, cõceſſu Magiſtratuum ſuſcepta omnibus poſteà permittantur, impræſentiarum attuliſſe mihi videor. Oſtendi primò ludicrę velitationis inſtar, primordia rerum omnium Elementa: contrarias anni tempeſtates: terrenas, aqua-

tiles, aërias Animantes: gemmas, arbores: Naturam denique vniuersam exemplis singularibus, & quasi præiudiciis, hominum genus ad ineũdas fortiter Monomachias plurimùm incitare. Demonstraui gentes locis infinitas, nationes legibus & institutis dissidentes, populos moribus & religione discordantes, in Duellorum autem comprobatione alios aliorum quamsimillimos semper extitisse. Supererat Actori à cæteris orbis terræ partibus eiecto in Franciam, tanquam ab hastatis siue antepilanis ad triarios insugere: vnde nihilominùs eos quãprimùm eduxi manipulos (qui militiæ patrocinor, militarium verborum impunitatem peto) quorum armis suam derepentè caussam confossam, iugulatam animaduertit. Orationem meam quasi aciem vobis spectãtibus ita instruxi, vt eius dexterum veluti cornu, magnificus Regum & Reginarum primæ notæ clauserit comitatus, deinde circumfusi Proceres, & nobilissimi quique suo ordine constituti. Alteram aduocationis meæ partem venerandæ Religiosorum, Sacerdotum, Cœnobiarcharum, Episcoporum, Principum puniceo galero insignium, & Põtificum summorum cohortes tenuêre. In fronte atque medio leges exterorum, virique barbari, ac mulieres Monomachia insignes, velut leuium armorum acies, collocati. Accessêrunt Pompæ ac cerimoniæ, queis euici, Monomachiam à Dei & Cælituum cultu nequaquam abhorruisse. In dextero cornu, vt ita loquar,

Ioannes & Martinus summi Pontifices: in lęuo Carolus Magnus, & eius collega Franciscus procurarunt. Totum agmen clauserunt Leges huius Regni antiquissimæ, probatissimæ, Senatusconsulta, & sapientissimi Iudices, Principum instar, atque triariorũ. Anteà sum vsus copiis Aduersarij, & quorum authoritate partes nostras infirmare cogitabat, eos ipsos nobiscum pugnare patefeci. Ex schedulis prouocatoriis planum feci, quàm ęquo, quàm forti animo Duellũ admiserint, collaudarint, subierint Reges antiqui. Recitaui Edictum Philippi Pulchri, quod Alciatus Iurisperitorum sapientissimus, sapientum iurisperitissimus, *æquum ac vtile* appellat. Ex eo constitit quasuis penè disceptationes inspectante Rege, & Viris selectis cùm ex Senatu, tùm ex Nobilitate præsentibus, Duello dirimi consueuisse. Reliquum fuit Ludouici Regis consultum, de quo quid senserit Curia amplissima, statim oculis vestris subieci. Ex quibus quęque vestrûm facilè assequuturũ cogitaui, quid Filiis obsequẽtissimis, & Maiorũ suorum imitatoribus sit hodiernâ luce decernendum; cùm Parentes singulari sapientia & integritate commendati, talibus præiudiciis in Quæstione non dissimili viam facilem & apertam suæ posteritati præmunierint. Quid igitur caussâ peroratâ superest, nisi vt vos orẽ obtestérque IVD. vt vestræ sagacitati ac indulgentiæ simul obsequamini: vt, cùm omnia nostræ caussæ seruiant, plus veterum auctoritas, o-

Ita penè vocatur Alc. à Lil. Gyraldo de poët. nostri temp.

L. de Duello cap. 4.

mniúmque populorum consuetudo posſit ad cautam māſuetudinem, quàm hominum minùs conſultorum odium & eloquens inuidia ad exitioſam ſeueritatem? Homines iuris & legum interpretes ſapientiſsimos, & iſta exiſtimatione ac potentia præditos, qua vos eſtis, prouidere decet, ne plus in iudiciis valeat hominum minimè malorum illorum quidē, ſed nō ſatis acutorum ignauia & timiditas, quàm Reipub. ſalus, veſtráque ſapientia. Quòd ſi Monomachiam leges & decreta priorum temporum nonnulla ſugillare & auerſari videntur, attamen ſummis Rerumpub. moderatoribus imitandos eſſe dixerim Medicorum prudentiſsimos, qui ſolent ex malè affectis corporibus vitioſos humores benigniſsimè & paulatim educere, ne ſi ſemel vniuerſos exhaurire voluerint, quos reſtituere conantur, occidant. Atque ſi, quod à me huius Orationis principio dictum meminiſſe poteſtis, cruciarios Hæreticæ factionis Polyphemos, ſimias cothurnatos, canes de balneo, aſiniſsimos ſophiſtas (vt eorum alter alteri ſibi mutuò certatim exprobrant) brutos homines, bardos, faſtuoſos, vertiginoſos, Cyclopes, ſuperbam Gigantum factionē (non eſt cur veniam tot contumeliarum petam, Auditores, habeo enim confitentes reos) in terris olim, quid dico? etiā nuper, & hodie Cōcilia, Patres, Eccleſiām, omnia vetuſtatis & ſanctitatis monimenta per ſcelus & audaciam expungētes, interpolantes, ſuccenturiantes, ſufflaminātes,

Ita Heſhuſſium vocat Theod. Beza in ſuo ſacramentario. A. 1561. Caluin. admonit. 3. contra Vueſtphalum.

iugulantes, reponentes, nullis equuleis, nulla cruce, nullo gabalo puniendos asseueranter dixerunt Augustinus, Martinus, Bruno, Seuerus Sulpitius, & proximè Henricus Magnus: haud deerit operæ pretiũ, credo, nec tuta cõsilia rempublicam deficient, si Duellorũ vsum ex remediis acriùs sæuientem hodierno Senatusconsulto nisi penitùs approbandum; saltem benignè perferendum, & in rebus grauioris momenti aliquando concedendum esse concludatis. Sic enim vestrâ curâ, studio & labore caueritis, ne, quod futurum esset profectò, si certamine singulari, stimulo & exercitatione veræ virtutis, legum etiam nostrarũ adiutorio, atque, vt ita loquar, supplemẽto penitùs interdiceretur, ex vestris ciuibus inuictis & generosis, tandem (ô Patrij indigetésque lares, quibus Galliæ cura concredita est, auertite & detestamini, quæso, hoc omen) sicarij & mirmillones nocturni efficiantur. Hæc vt è Republica esse, quàm quæ maximè intelligatis, recordemini Almachium virum cæteroqui religiosissimum, fustibus olim, & saxis obrutum media in populi concione, quia, cùm esset eo ingenio, iisque moribus, vt seipsum mutare, & suam, quod ait de Catone Salustius, versare naturã minimè posset, Duella verbo tantũ & dictione paulò acerbiori lacessere, coërcere discupiebat. Reminiscamini Philippum Regẽ cognomẽto Pulchrum, cùm plus plúsque in dies agnosceret solum hoc Gallicanũ planè Herculis sidere procreatum,

Niceph. l. 11 c. 1. & Theod. l. 5. ca 15.

In Catil.

Id patet eius Edicto A. 1306. in principio.

cui quaſi ab angue lernæo tot cæſa Regio effato Duellatorum capita de ſanguine ſuo in cognatis & aſſinibus renaſcebantur, ſuum in hoc pugnandi genus Edictum libentiſſimè, ſed ſerò abrogaſſe, vt frequentiſſimis eorum cædibus ac homicidiis occurreret, qui locum ad dimicandnm pręſcribere non audentes, ſibi inuicem quibus inſidiis, quibus artibus impunè vitam eripiebant. Niſi forſan fateri quis recuſet, virtutem atque ſapientiam maiorem in illis fuiſſe, qui ex paruis opibus tantum imperiũ fecere, quàm in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. At non eſt cur Maiorum noſtrorum integritas & manſuetudo quidquam de veſtra prouidentia & benignitate detrahere poſsit. Nouimus eum Quæſitorem huic cauſſæ præpoſitum, quo moderatore nec cõſtantiorem Areopagus, nec prudentiorem Amphyctionum Senatus vnquam ſuſpexit. Credimus eos Aſſeſſores ad hoc cõcilium vocatos, quibus meliores Indorum conſeſſus, aut acutiores conſcripta Quiritinm corona non laudauit. Quapropter, IVD. quæſumus à vobis, efficite, vt quam in ſpem de vobis conceptam nobiliſsimi huiuſce virorum clariſsimorum cœtus inclinant animi, ab ea veſtris huius diei ſuffragiis nullus deiiciatur. Non poſcimus, non efflagitamus, vt cuique deinceps fiat in hoc regno Duellorum licentia: eos vt furias abominamur importuniſsimas, qui efferata immanitate compulſi, aut honoris, quod aiunt, ab iniuria vindicandi ergô, aut

rerum futilium assequendarum causſâ ſuis aduerſariis Monomachiam indicunt illis cruces, verbera, quæſtionem, & carnificum tormenta quæuis depoſcimus, qui furtim nullóque arbitro conuocato, deſcendunt in arenam cum præſtigiis & dolo malo plerumque, ad explendas ſuas inſanas cupiditates. Hæc naturæ leges, hæc populorum inſtituta, hæc diuinæ atque humanæ ſanctiones exigunt, flagitant, obteſtantur. Qui verò conceſſu Regis atque Magiſtratuum authoritate innixi, viris vtrinque rei militaris ſcientibus aggregatis, res eas ad certamen hoc examinabunt, quæ cùm ſint momenti grauiſſimi, nullis Iudicibus, nullo ſcripto, nullis teſtimoniis, nullis forenſibus & cõcertatoriis contentionibus elucere poſſe videbuntur; illi ſanè, qualeſcumque olim futuri ſunt, à vobis me deprecante ſuppliciter ac demiſsè petunt, ne cui liceat eam ob rem eorum famæ vllas ignominiæ maculas inſpergere, aut ipſis ceu maximorum criminum delatis periculum capitis, famæ, & fortunarum intentare. Cæterùm quod ad eos attinet, qui hoc in iudicio Maieſtatis ob intempeſtiuum Duellum poſtulantur; quibúſque Aduocatum me aliquomodo dediſtis, quò me vertam, neſcio. Inficier præpoſteram dimicationem ab illis fuiſſe initam? Negem eis ſalutem publicam aduerſari? decreta parẽtum noſtrorum non aſtipulari? non ſuffragari vllos ex barbaris aut Chriſtianis nationibus legumlatores? euellere ex animis Iudicum tam ſagacium,


cium, tam prudentum tantam veritatem? tam confessam? tam apertam? tam penitùs inueteratam? Non est mei ingenij, neque voluntatis. Vestræ autem humanitatis erit, IVD. eorum iuuenili ferociæ, atque fortunæ calamitosissimæ indulgere. Non opibus contendunt, mihi credite, non auctoritate, non gratia, non legibus, non caussæ æquitate: sed precibus, sed lacrymis, sed misericordia, sed ea, quæ *sola Deos æquat Clementia nobis.* *Claudia. in Cons. Theod.* Huic inter maximas virtutes non postremum locum occupāti si quid condonandum (quod existimo) censebitis, ex illis, quibus de agimus, duos (pace tua Astræa sanctissima dixerim, metuo enim ne scelerate dicam in te, quod pro Gallis & humanitate dicam piè) qui vi Martis ac Duellonæ perculsi diem suum iam obierunt, restituetis sine grauiore pœna consanguineis, amicis, vicinis, tribulibus, quos omnes præ lacrymis, & dolore, & iudiciorum reuerentia hîc vocem comprimentes videtis. Quos autem fortuna populi Gallicani saluos & incolumes ex pugna ereptos vestro iudicio ac indulgentiæ subiecit, eosdem aliquâ suarum possessionum parte atque honoribus mulctatos, Patriæ tamen, si quando fuerit vsus, Religioni, Ludouico XIII. iampridem animo excidium hæreseωn impurissimarum, & imperij Ottomannici euersionem meditanti conseruabitis; suppliciis longè grauioribus posthac illorum obfirmatam in malo audaciam repressuri,

qui ſibi alieno periculo non ſapientes, eiuſdem temeritatis ac veſaniæ poſtulabuntur. Quanquam, ne ſpes meas & vota fortè minùs cogitata iuſta Nemeſis vlciſcatur, per ego vos decreta Maiorum, per ſanctiſſima Dei præpotentis effata, per Concilia & ſynodos auguſtiſſimas, per ſacra Themidis & Eccleſiæ Romanæ puluinaria, per eos qui imperij Gallicani terminos tàm longè latéque propagarunt, quæſo petóque, vt muneris veſtri iuſtitiæque dignos ſpiritus capiatis, vt eadem conſtantia, fide, integritate, qua lites præteritas diremiſtis, hodierno die in ſententiis ferendis, quod æquum & ſalutare huic regno iudicabitis, id decernatis.

DIXI.



IVDEX CONSILIA-riorum sententias de Duello, & Orationibus vtrinque habitis, sciscitatur.



IDEO, P. C. in me omnium vestrûm ora atque oculos esse directos. Video vos, non solùm expectare cum magna spe, sed propemodùm exigere assẽsum meum, ac præsentem quæstionis huius enodationem. Est mihi pergrata pérque iucunda vestra illa in caussis celeriter dirimendis cupiditas: firmámque amplissimi huius Ordinis consensionem de salutari Gallicanis Magnatibus dextera, medicináque, priusquam vulnus in medullam irriguerit, citò porrigenda, non possum non libenter comprobare. Sed, per Deum immortalem, vos ad id mecũ quęso annitamini, cauetéque iterùm ac iterùm, ne quod alium pugnaciter flagitatis, idipsum in vobis queat iure merito desiderari. Illud enim vos probè meminisse tam certò scio, quàm mei officij mihi sum conscius, in illa nos per Regem optimum specula collocatos, vt intentis oculis omnes eius Reipub. partes vnà intueamur: illa nos authoritate circũseptos, vt irruentia quæque coniunctis viribus pro-

pulſemus: dignitate ornatos, regiáque munitos beneficentia, vt vna eadémque conſpiratione parati & alacres ad cautelam periculis dandam, morbis medelam, laboribus leuamentum, diſcordiis tranquillitatem acerrimè incumbamus. Nempe quum tempeſtas ſæuit, quum vis magna imbrium & grandinis cadit, funes ſtridunt, curuatur arbor, gubernacula gemunt,

Sen. in Agam. act. 3 ſc. 1.

In aſtra pontus tollitur, cælum perit,

Virg. 1. Æn.

Præſentémque viris intentant omnia mortem;

nō ſolùm cui clauus commiſſus eſt, naui proſpicit, ſaxa & ſcopulos declinat, ſed hominum in eadem naui periclitantium alij malos ſcandunt, alij per foros curſitant, alij ſentinam exhauriunt, æquórque, vt ait Vates, refundunt in æquor, ac demùm ſe inuicem mutuis laboribus ad mutuum excitant adiumentum. Sim Æneas licèt; niſi vates à conſiliis Iouis (ita Sibyllam interpretor) mihi,

Ouid. Metam. Lactant. Firm. 1. diu. inſt. Sibylla quaſi σιοῦ βουλή. 6. Æneid.

Sit comes, & paribus curis veſtigia figat;

aureum decerpere ramum arbore opaca mihi vel oculis acerrimè infixis omnia perlegenti non dabitur, nec vllus ad Elyſios veritatis cāpos aditus vnquam patebit. Sim Vlyſſe prudentior, niſi amica Pallas ea quæ nocitura videbuntur, ſuggerat in aurem: & mihi Populares meos in ferinam, prò dolor! Tigridum & Leonum immanitatem abeuntes ad humanum ciuilémque cultum traducere meditanti, benignâ & χρυσορράπιδι manu ἐσθλὸν φάρμακον,

Homer. Odyſ x. & Ouid. 14. Met.

Iliad. x.

Moly suppeditet Mercurius; periculum erit, ne pharmacis & cantionibus Circes triueneficæ, vt Plautinè dicam; cæcis, inquam, & insanis, quæ homini accidere possunt, perturbationibus irretitus hominem exuere cogar, & belluinam infra (quod abominor) deprimi cæcitatem. Sim æquè ac Diomedes δαΐφρων, καὶ δουρίκλυτος, si Laërtiadæ,

Apulei. c. 48 de vir. herb. & de Deo Socrat. περὶ τὸ μωλύειν πιστόσεως.

Οὗ πέρι μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ἐν πάντεσσι πόνοισι,

Hom. Iliad. 10.

mihi prudentia desit, neque à Rhesi tentoriis fatales equos auertere; neque cineres Laomedontios è Scæa porta; aut Palladiũ ἐρύμην πόλιός τε, καὶ τρώων, secreta quædam imperij Troiani pignora, mecum dabitur asportare. Denique sim Theseus licet, aut magister equitum Rufus, aut M. Minucius consul, aut ὁ βασιλεὺς βασιλευόντων Agamemnon; nequicquam Stygios lacus superare sine Hercule: neque Carthaginiensium impetus sustinere, sine Fabio cunctatore, & Imperij scuto: neque Volscos, & Latinos more pecudum sub iugum mittere, sine Quinctio ab aratro Dictatore: neque Troianas opes euertere absque Nestore ὅς Ἀχαιῶν ἀγορῇ νικῶντι mihi consilium erit. Eloquar meliùs & apertiùs. Si hoc in amplissimo Magistratu collocatus, cùm res alias, tùm maximè Monomachiam sedulò examinare, eam aut in orbem Gallicanum penitùs introducere, aut è Francorum animis radicitùs extirpare coner, & quicquam de contrariis eorum Orationibus, qui bene dicendo diutiùs, quàm

Coint. Smyrnaus 1. lib. v. 354.
Plutarch. in Th.
T. Liu. li. 22. & Flor. ca. 3. l. 2. idem l. 1. c. 11.
Hom. Il. 2

ſuſpicabamur, animos noſtri omnium ſuſpẽſos tenuerunt, modò pronunciare, niſi de Cõſilii ſententia, & liberrimis Senatorum, quos hîc frequentes intueor, ſuffragiis; meritò laborare vitio mentis exiſtimer, nec impendiò magis ſapere, quàm beta. Echinos audio marinos ſæuitiâ maris abripi ſolere, ni lapillorum, quibus commodùm arreptis operiũtur, pondus ſtabiliat. Et nos, & pleroſque omnes, qui publicam perſonam ſuſtinent, crebri ſæpenumerò affectuum diuerſorum inſultus tempeſtatéſque in imum deuoluerent, atque orbitam extra legum & æquitatis deiicerent, niſi Conſiliariorum prudentiſſimorum, & in vnicum Reip. bonum conſpirantium anchora nos obfirmaret. Mihi proinde ſolicito (vt de me fatear, quod in aliis non audeo annotare) cùm vtrinque in omni negotio forenſi diſputetur, & ex altera parte plerunque inuoluta caligine ſit veritas, ex altera lateat mira ſubtilitas, quæ interdum copia eloquendi, & ſingulari dictionum inſtructu, atque apparatu fidem exploratæ probationis imitetur, gnauiter, quantum in me ſitum eſt, ſingula quæ ad hanc cauſſam ſpectant, non vnius, ſed plurium librarum, earúmque probatiſſimarum lance põderare conſilium eſt, vt argutias quidem laudare, ea verò, quæ recta videbuntur, & iuſtitię conſentanea, eligere, probare, amplecti poſſim. Id fauſtè & feliciter vt contingat, credo, lymphatæ Oraculorum voces mihi non veniunt conſulendæ: nullus huic

Plin. hiſt. Natur. li. 9. c. 31.

Hygin. Fab. Poet. c. 15.

Sphingi Oedipus, non Alexander nodo huic Gordiano, nō Gedeon his Arabum insomniis, non Aruspices seu Decemuiri his effatis Sibyllinis operosiùs sunt inquirendi. Frustra in Delo Apollinem, Iouem in Dodona, Venerem in Papho, Amphiaraum in Græcia, Apim in Ægypto, Æsculapiū in Epidauro, aut Gallum in Persia, ὃς ἦρχε Περσῶν πρόσθεν πάντων, ego sententias de hac lite rogaturus orbem terræ circumibo. Vos vos, IVD. dummodò mihi ad aureos sapientiæ ramos, & amœna iustitiæ vireta properanti Sibyllæ futurorum cōsciæ præeatis; dummodò me variarum opinionum atque rationum contrariarum fluctibus iactatum, & promissis Calypso deæ fallacibus, cantionibúsque Circæis semel ac iterùm appetitum in Ithacam, quæ me ad sese iamdudum vocat, quasi nidulum quidem affixum saxulis asperrimis, sed fortè gratam æquè Astrææ sapientissimæ, ac auratas domos, vbi

——asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosáque fila smaragdis
Ducta virent, amethystus inest, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis,

in eam, inquam, Ithacam, veritatis & prudentię domicilium me vos quasi Mineruæ sagaces perducatis: dummodò mihi Diomedi vos Vlysses, Theseo Hercules, Rufo Q. Fabii dictatores, Minucio Quinctii agricolæ triumphales, Agamemnoni Nestores minimè desitis; Vos omnes mihi credite, hac in caussa

Iustin. l. 6. Iudicum l. 7. & 8. Sabel. l. 9. c. 6. exempl. Diony. l. 4. Philostr. in Apollo. vita l. 6. Pompon. Mela l. 2. c. 6. Cornel. Tac. l. 18. Cic. 1. de Diuin. Luctatius inter tres in 3. Theb. Aristophanes in fabula de auibus. 1. de Orat.

Claudia. Panegyrico Honorij quartū Consulis. Supra.

Cic. de Clar. Or. 171.

(quod olim de Platone dicebat Tragicus nescio quis) Oediporum instar plurimorum, & Alexandri, & Gedeonis, & Aruspicum, & Apollinis, & Iouis, & Veneris, & Amphiaraï, & Apis, & Æsculapij, & gallorum Persicorum instar lubentissimè sum habiturus: quorum nempè scio in consiliis de Repub. capiendis diligentiam, in periculis à communi salute propulsandis animum, in sententia simpliciter aperienda fidem, in hominum voluntatibus pro salute publica lædendis libertatem, in perferendo labore industriam, in bonis Gallicani populi augendis grati animi beniuolentiam nunquam defuisse. Quare, si vobis ita videtur, *hoc vnum agite*, sitis ad veram huius caussæ disquisitionem, & suffragia inite.



SENATORVM DE MONOMACHIA SENTENTIÆ. I. SENATORIS SENTENTIA.



SI quid votis & precibus apud Deũ immortalem, Iudex æquissime, aliquando valuissemus, hodiè sanè potiremur quietissimâ vndique Repub., & Ciues nostros cùm arctissimo mutuæ coniunctionis vinculo vnà constrictos, tùm vacuos ab odiis domesticis, ac ciuilium osores discordiarum haberemus. Nam si magnam

gnam trãquillitatem placidámque malaciam toto æquore Gallicano vlla vnquam desiderauit ætas, nostræ profectò is status est, vt nunquam magis ex priuata publicáque beneuolentiæ continuatione totius Regni salus pependisse videatur. Nempè Francorum puppis nequaquam, vt solebat, secundo mari, benignis conspirantium ventorum flatibus impulsa optatum ad portum appellere potest. Surgentes hinc inde ipsam procellæ concutiunt; & turbinum vis iacturam minatur: cautes & Ceraunia vndique circunstant: vt, quanquam in eam (quantum ego spe & opinione auguror) nullæ sint vnquam hostium crudelissimorum, ac vndequaque circunstantium fauces morsum letiferum impacturæ; quandiu nihilominùs turbulentâ improborum hominum tempestate Oceanus noster Gallicanus commouebitur, ne non timere quidem sine aliquo timore poterimus: Sapiẽtium, inquam, haud abs re formido ceperit animos, ne sæua tempestas imminentésque procellæ nos in ea breuia & syrtes abripiãt, vnde postea non nisi magnis laboribus liceat cuiquam enatare. Hæc sine dubio, Auditores, & qui demissi in obscuro vitam agunt; & qui hoc in consilio tanquam in specula sunt collocati; & qui magno imperio præditi stant in excelso, præuident facilè, atque his præcipiunt cogitationibus. Sed (in quo cunctis mortalibus maximè indolescendum est) futuras præsentire animo calamitates vt datur

Val. Max. l. 1. cap. de prod. Cic. 1. de Diu. & 2. de nat. Deor. Plutar. in Crasso. Stat. l. 7. Theb. Pausan. in Bœot. Sueton. in Oth. ca. 8. Senec. in Ag. act. 4. & 5. Paul. Diac. Hist. Misc. l. 6. c. 31. Cic. pro M. Scaur. Iuuen. satyr. 12. Plin. l. 8. hist. Nat. c 3. & 30.

pluribus, sic auertere prudenter & declinare paucis. Norunt qui vetera legerunt, Flaminium, & Appium Claudium, & Crassum exercitus perdidisse, quamuis pullorum solistinum tripudium sibi deesse intelligerent. Voraginem vidit Amphiaraus, & absorptus est: Tiresias cęcitatem, & lumine captus est: obuiam Tiberis eluuionẽ habuit Saluius Otho, nec retardatus est. Agamemnon reuersionem ad Mycenas sibi perutilem fore didicerat, reditum verò perniciosum: hunc probat, illam respuit, periit. Nos autem, quibus *è meliore luto finxit præcordia Titan*, (quod præfiscinè dictum velim) aliorum occasu & inani pertinaciâ edocti, è duobus malis minimũ amplectemur: togámque cutis seruandæ caussâ, vt aiunt, abiiciemus, sapienter in re optima Fibrum imitati, qui suam non grauatè salutem redimit ea parte corporis (Castoreum appellant) propter quam se expeti, duce naturâ suspicatur: Aut Elephantes potiùs; quadrupedum solertissimos, qui vrgente cominùs venatorum turbâ, cùm magnis itineribus decursis sibi tandem deficiunt, nec à fuga punctum temporis queunt respirare, dentes sine mora trunco impactos relinquũt pro pignore ad explendas insequentium prædonum cupiditates. Næ fallor ego, aut è flamma impendentium calamitatum posthac euolabimus, résque in Gallia prosperè ac feliciter omnino procedent, si ad viuum singula non resecantes, aliquãtulùm de summo iure deflectamus,

temporum opportunitati leuiter cedamus, non omnia Francorum ingeniis denegemus, quibus pugni gestiunt vbique: Si denique illos Naturæ ac sideribus ad specimina suę fortitudinis singulari prælio exhibēda, interdum à nobis, vt paulo pòst aperiam, quasi debitos repetentibus, missos vtique faciamus ad maiorem Reipub. tranquillitatem.

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Ouid. de Ponto l. 3. el. 7.

Magna mihi copia est commemorandi, Audit., qui Naucleri fluctus minùs quietos, leuésque procellas nauim suam in portu alluētes reprimere conati, quamprimùm littorum mutatione suas proras illidi, gubernacula infringi, antennas disiici, carinas conquassari serò sapientes despectarunt. Qui Medici chirurgiâ & remediis acerbioribus integram valetudinem funditùs sustulerunt, quam diætâ & mollibus fomentis recreare, sustentare potuissēt. Qui agrorum cultores vnâ cum euulsione carduorum, lolii, filicis, lapparum & tribulorum nimis accuratâ, etiam frumenta sensim herbescentia, & culmis erecta geniculatis radicitùs extirparūt. Qui Reges, aut qui Magistratus hominum factiosorum cœtus & cōciliabula proprio nutu derepentè euanescentia, ac in nullius intertrimentum occidentia dissipare ferro flammáque aggressi suas protinus Respub. in ea coniecerunt incēdia, quæ restinguere non nisi cruore subditorum, & toti sępiùs ambusti potuerunt. Sed ea malo

recensere, quæ quondã maximi perpessi sunt in Francia,& toto orbe Christiano Principes, dùm Monomachias nimis præfractè, vel sanctissimo Religionis obtentu atque prętextu abrogare voluerunt. Constantinus ille, cui *Magnum* cognomen apposuit antiquitas, cùm in alta pace totius imperij Romani, rerúmque omnium vbertate & copiâ, &veluti fortunæ saginâ dormitãs,cauisset Edicto, ne quis postea in arenam descenderet singulari pugna dimicaturus, eò cecidit discriminis & periculorum summus Imperator, vt qui terras penè omnes,regnáque potentissima suis obsecundare votis atque sanctionibus antè animaduerterat, vix post Duellorũ interdictum Licinii & Soromatarum exercitus non dicam occisione occidere, sed ne quidem sustinere, atque ingressu imperii sui prohibere potuerit. Successit integro seculo pòst Honorius, qui cùm Gladiatorum,siue Duellatorum sanguinem interclusum respirare Decreto publico iussisset, armis ex improuiso, cædibus, incendiis & populationibus suas diripi atque vastari, possessiones misęrandum in modum circumspexit. Sic Telemachus Anachoreta ex Oriente in Italiam delendæ Monomachiæ studio cùm aduolasset, periit inexpectato saxorum imbre oppressus,quia Oratione splendida,& grandi, & seueritate concitata Duellatores mordere, & eos quasi à vero deerrantes æternis addicere suppliciis ausus erat. Atque, ne hospes huius Regni videar,& in Gal-

Zosimus Comes Histor.l.2.

Idem l.5.

Theodoret.l.5.ca.25.

licana Repub. peregrinari, nonaginta plùs minùs supra trecentos annos sunt elapsi, cũ plurima Fráciæ oppida sæuissimis agitata seditionum fluctibus, & suis penè couulsa fundaméntis, Symplegadum instar, inter se concurrerunt, Magistratúsque & Principes velut œstro perciti in Regis authoritatem insultarunt. Quamobrem? quia Ludouicus IX. de quo nihil tam dici magnificè potest, quod nõ ab eius pietate & sanctimonia superetur, contra Duellatores nimia cum obstinatione velitabatur, eos in conuiuiis rodebat, in sacro Consistorio vellicabat; vbique carpebat & insectabatur. Regem sanctissimum longo subsecutus est interuallo Philippus, egregia & corporis & animi pulchritudine conspicuus, qui subditorum insanias, Duellum volebat dicere, obliuione sempiterna obruere cogitans, ferocissimos Frácorum animos à Duellorum consuetudine, propositis pœnis acerbissimis, voluit deterrere. Tùm primò quis non regiæ prouidentiæ congratulabatur? quis illius mẽtem & amorem in suos admirabilem omni laude, prędicatione, literis monimẽtísque decorandam non vociferabatur? Homines temerario furore exultantes, sibíque solis, ac priuatæ iniuriæ, non religioni publicísque commodis inseruientes, iure ac meritò neci tradendos aiebant. Sed ea res paulò pòst magnę fuit initium calamitatis. Nam vti quisque alteri infensus erat ac inimicabatur, vitam ei dolo, cùm virtute nequiret, veneno aut insi-

De Vita S. Ludou. Gaufr. de Belloloco.

Eius Edictum A. 1306.

diis eripiebat. Ita ventum erat ad supremum: & iam infelici Galliæ acerbum funus ducebatur: iam ad rogum, cui ciuilis flammæ nõ tremente Francorum dexterâ supponebantur faces, liberi, in quibus vel scintilla pietatis reliqua erat, mœsti atratíque Parentem prosequebantur: Cùm Rex, cœlorum & Numinis instinctu; salutarẽ ei digitum medicinámque porrigens, communis incendij folles, fomitem, ac incitabulum ademit, hoc est, ingratum in Duellatores Consultum publico diplomate abrogauit. Nostra memoria *Henricus Magnus*, absque quo victrix gentium Gallia iis indignissimè pareret, quibus imperare consueuerat: absque quo (vereor, vt hoc quod dico, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans cum Gallis Galliæ amantissimis sentio) Aduena nostri possessor agelli

Diceret hæc mea sunt, veteres migrate coloni:

Virg. Ecl. 9.

Henricus, inquam, fortissimus, augustissimus, Galliarum corculum, Europæ amor, atque orbis deliciæ: vniuersis rebus in Francia quæ iacebant erectis, quæ stabant, solidatis, quæ nutabant, confirmatis, suorum animis, qui malè cohærebant, agglutinatis, omnibus belli vulneribus, queis præter ipsum mederi nemo potuisset, curatis, Francis denique cùm singulis, tùm vniuersis vsque ad inuidiam felicibus, beatis, florentibus effectis: tandem vbi se ad Duellorũ abrogationem iterùm accinxit, ecce (pro dolor! prò scelus! *quis talia fando temperet à lacrymis*? ab eo, qui se homi-

Edictis Annorum 1602. & 1609.

nem mentiebatur, qui feritate belluas anteibat, à monstro horrendo, à tetro serpente, à larua infami, ab harpyia fœdissima, vno verbo, à Dæmonum fæce atque proluuie, inter fidissimos purpuratos contrucidatus est. Quid igitur, inquiet Accusator? placet etiam nostro Senatusconsulto in Francia Monomachias omne genus adprobari? minimè. collaudari? multò minus. tolerari? quidni? Quando in nobis maior virtus & sapientia non est, quàm in eo, qui rerum omnium effectori ac opifici carissimus, Crucem sereno cœlo præclaram sibi victoriam, victoriæque insignia portendentem veneratus est: qui vno clauorum sanctissimorum, quos vnà cum cruce refoderat Helena parens, instar amuleti in cono galeæ imposito caput præfulcire, alteróque bellatorem equum meruit communire: qui ope diuina teterrimas coniurationes dissipauit, vaferrimæ factionis fraudes elusit, per gentes immanitate barbaras exercitum victorem hostium, profligatorem hæreseon, domitorem impietatum deduxit: qui (mirum & incredile dictu!) procellas, nimbos, turbines, fulgura, tẽpestates, totum denique Oceanum suis penè conuulsum sedibus, fœdissimámque caliginem cœlo ac sideribus offundentem compescere potuit, Duella non potuit. Quidni? quando Telemachus pietate, iustitiâ, virtute suis omnibus numeris absoluta commendatus, cuius ad pedes & simulachra post mortem Reges ipsi suppliciter se abiecerunt: cuius ar-

E. Suida excerp. in Imper. 43. Eusebius lib. Eccle-siast. hist. 9. & Sabellic. exempl. l. 9. c. 9.

Theodoretus lib. 5. ca. 15.

bitrio cœlum ſæpe eſt apertum: cuius nutu Dęmones importuniſsimi è terra, cœnobiíſque præſertim excellerunt, eruperunt, euaſerunt: denique Telemachus ſupra omne ſanctitatis humanę euectus, nullis potuit lacrymis, nullis obteſtationibus, nullis ieiuniis, nulla ſanguinis effuſione aſſequi, vt à Duellis hominum genus auerteret ac dehortaretur. Quidni? quando Ludouicus Rex, cuius integritatem tota celebrauit antiquitas, & adhuc celebrat celebrabítque poſteritas, qui prudentiâ ſingularis, iuſtitiâ incomparabilis, pietate admirabilis, fidem propè depoſitam & exulantem reuocauit, quæque dilapſa temporum iniuriâ, ſeu maiorum incuriâ fluxerant, ſeueris legibus deuinxit, tamen nihilominùs vbi omni cura & ſtudio ad Monomachiæ diſſolutionem incubuit, odiis ſubditorum, & ſimultatibus partim obſcuris, partim apertis cum magno ſuo dolore eſt appetitus. Quidni? quando Philippus & Henricus,

Ioinuille in eius vita.

Supra.

Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis,
Hic pietate prior,

Virg. 11. an.

nihil ſibi non peruium, nihil non facile, nihil non expeditum præter Duellorum abolitionem reperèrunt. Hanc ego cauſſam, IVD. quò minùs nouum conſilium capiamus, nouas leges ſanciamus, noua inſtituta comminiſcamur, in primis magnam duco. Si enim antiquitùs Macedoniam, Græciam, Syriam, cæteráſque orbis terræ prouincias potentiſsimas, omnes quodam quaſi actu & torrente fortunæ

Ann. Florus libr. 2. ca. 7. & Iornandes Epiſc. Rauen. c. 47. de Regn. ſucceſſ.

fortunę impulsas, post Hannibalé deuictum, oppressámque seruitio Carthaginem, vinci à Pop. Rom. & eius mores, iugum, instituta ferre patienter non puduit; Quidni eodem iure peruicacem obstinationem deponimus, proiectámque ac inanem Duellorum abrogandorum cupiditatem abiicimus, quando Principes eorum, qui sunt, aut fuerunt, maximos, Duella totis viribus impugnare adortos, nunquam tamen expugnasse, sed succumbere potiùs, ac Duellatorum arbitrio velut obtemperare coactos fuisse nemo non cognoscit? Iampridem effluxit ætas, quâ Magistratuum arbitria pro legibus erant, rerúmque, gentium, & nationum, atque morum imperium penes Reges collocabatur. Vnicum, propè dixerim, annosa veterum suspexit Alconem canities, qui cùm serpentem oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus, filij pectori applicatum vidisset, fretus arte, qua valebat, sagittaria, ita ponderauit hastile, vt eo belluam transfixerit, nec in infantis viscera penetrarit. Duellum non obscurè irrepens, sed inuadens, & quasi inuolans in animos, & viscera, & artus iuuentutis Gallicanæ, studiosissimi liberorum paréres, id est, sanctissimi Reges plerique, animaduerterunt, hastas iudiciorum, & placitorum acutissimas in illud eiaculati sunt, oleum & operam luserunt, tela irrita ventis dederunt, ausúque veluti gigantæo cœlos & sidera terris adæquare conati, in immensam calamitatum & dissensionum vo-

Iustin. l. 1.

Valer. Flacc. l. 1. Argonau. & Seruius in eclog 5. v. 11.

raginem præcipites deciderunt. Qui abdita & inuoluta fabularum integumentis acie ingenij sui euoluêre, narrant, Herculem, cùm Nessum biformem inconsultâ Deianiræ cupiditate incensum sagitta traiecisset, pœnas Cadmeę plusquam victoriæ, & conceptæ iam animo lætitiæ dedisse grauissimas. Nempe cui Iuno irata, graue Cœlorum pondus, Antæus ferox, triplex Geryon, sæuus Busiris, rabiosæ Stymphalides, Cacus immanis, cætera generis humani portenta, victoriæ decus, & gloriam immortalem pepererant, illũ prosternit Nessi prostrati cruor, cui nec virtute resisti, nec telis armísque potest. Atque vt Tragici verba vsurpem,

Strabo l. 10.

Erasm. ex Zenodoto.

——membra, & Herculeos toros
Vrit lues Nessæa: qui domuit feras,
Ille ille victor vincitur, mœret, dolet.

Seneca actu. 3. scen. 2. in Herc. Oetao.

Dixerim ego neminem vnquam, vel magnum præter Alcidem, nullas oras, nullos populos è gremio carissimæ sibi Reipub. Duellum seducturos, & acerbissimę legis cuspide confossuros, quin tandem aliquando sui fiant impotes, atque ex altissimo felicitatis gradu ad exitium miserrimum præcipitent. Elephantes innoxij anteà, visis mox Draconibus, & radios eorum venenosos, & dentes rabidos, & ad præliandum ferociam, & ad circumueniendum prudentiam, & ad cruorem sugendum auiditatem in se ferri haud frustrà putantes, illos suo sanguine priùs inebriatos ita vlciscũtur, vt corruentes cùm sibi deficiunt, hostem

Plin. senior. l. 8. cap. ij. & 12.

ſuo elidant pondere, ac illi victores victíque commoriantur. Tolle & Elephanti nomen, & virus Draconis remoue, ſi, ô Francia, perſpicaciſſimis tuæ Iuſtitiæ oculis Duella examinaueris, ſi aſperitatibus ſuppliciorum ea implicueris, ſi tuam ſitim diſcordiæ omnis comprimendæ inexplebilem ſanguine Duellatorum reficere, ſedare nimis pugnaciter volueris; caue, per Deum! ne Duellorum occaſu concuſſa ſimul occidas, & ad exitium prope voluntarium delabaris. Myſiæ Ponticæ habitatores illum ceu fatuum ac mentis impotem exſibilant explodúntque, qui oleum herbæ Medicæ ſucco infectum, atque ad incendium ſemel excitatum immenſa vi aquæ reſtinguere conatur. *Solin. Polyh. c. 24.*

Myſorum terris, quas Ponti perfluit vnda,
Ignipotens oleo commixto gignitur herba,
Medica cui nomen, cuius compeſcere flammas
Si quis aquâ cupiat, plus ignis paſcit in illa.

Dionyſ. Interpres. Eadem de Maltha, & Napthta Pli. l. 2. c. 104. & 105.

Amentiores longè, ac deterioris iudicii participes cenſuerim, quos in Duellorum vſu gloriæ & honoris cupiditate in Francorum animis accēſo per ſuppliciorum grauitatem adimendo ac præcidendo ſciam occupatos. Si autem oleum iſtud ſuprà laudatum flagrãtiam omnem atque ardorem, vel minimâ cineris aut pulueris aſperſione ponere quamprimùm literis conſignatum eſt veriſſimis, & ignem

Pulueris hunc iactus potis eſt extinguere ſolus;

Dionyſij interp.

Quidni laudem eos, ac verbis ornem ampliſſimis, qui nimiam ſeueritatem, maximum ad

Monomachiam inuitamentum (superiorum temporum memoriam attestor) deinceps abhorrentes, iuuenilem Duellatorum ardorem leni scitorum promulgatione, animaduersionéque moderata per Senatus amplissimos reprimendum ac compescendum esse arbitrabuntur. Quod autem obiiciunt nonnulli, qui sibi solis sapere videntur, Duella plerumque videri pestis tartareæ instar, quæ dũtaxat mortuorum augere numerum, & Erebi fiscum de Ludouici ærario locupletare cupit: vtinam tale esset, vt id nobis inficiari liceret. Indignum est enim negare non posse, quod sit impium confiteri. Sed quandoquidem iis, quæ neminem fallunt, velle fidem abrogare, fatui ac dementis esse putatur: Non abnuimus, non dissimulamus contingere aliquando, quod obiicitur. tãtùm deprecabimur, ne paucorum errores, & malè cauta mens Gallis omnibus, ac toti maximè Nobilitati imputetur: præsertim cùm, vt antè dicebam, memoria superiorum temporum moneamur, ingentis esse vecordiæ id moliri, id fustuario dignissimum, & Magistratuum gladio resecãdum proclamare, quod cedere nescium ferro, tædis, gabalo, tunicæ, craticulis, legibus, ac institutis Regum, & Imperatorum, in hunc vsque diem visum est, imò & ex remediis multò sæuire acriùs ac vehementiùs. Nihil profectò excellentes in Repub. gubernanda Viri arbitrantur expedire, nisi quod suorum temporum inclinationibus consentaneum esse apparet: neque solùm

ea expendunt ac circumſpiciunt, quæ geruntur, quæque legibus geri poſſunt: ſed etiam qui curſus rerum, qui exitus inde futurus ſit. Quæ quoniam in temporum mutatione leuiſſima ſæpe poſita ſunt, non credunt in vna cum obſtinatione permanendum ſententia, ſed neceſſariò interdum cedendum loco, temporibúſque aſſentiendum. Sic in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt ſingularis, etiamſi portum tenere optatiſſimum non queas: cùm verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potiùs quàm eo commutato, quò velis tamen peruenire. *Cic. ep. 6. l 2. Fam.*

Stultus, ab obliquo qui cùm diſcedere poſſit, *Ouid. 1. de rem. Amor.*
Pugnat in aduerſas ire natator aquas.

Quòd ſi quis veſtrûm, IVD. aut eorum, qui adſunt, fortè miratur, cur Duellum hactenus in Francia ſteterit, vt in medio mari edita, & altiſſimis defixa radicibus cautes, cuius ſumma fluctus & procellę ne attingunt quidem, infima ſic verberant, non vt eam loco moueāt, ſed vt ipſæ frangantur: is, (*Cùm fluere æthereis nemo neget omnia cauſsis*) ſi huius inconcuſſæ, miniméque lubricæ ſtabilitatis cauſſam & rationem ad Cœlos referendam eſſe cognouerit: & hanc, cuius author & Princeps videor, ſententiam confirmabit, & ſiderum arcana potiùs admiratione & obſequio, quàm neglige̅tiâ & conte̅ptu excipienda iudicabit. Eruditus Mathematicorum puluis docet, Martis planetam ingreſſum domum Arietis (ita enim *Stat. l. 6. Theb.* *Ephemerides Mathemat.*

loquuntur) tanquam in diuersorium aliquod peropportunum, in Francorum regione omnino dominari. Quid igitur caussæ est, cur sæui aut dementes habeamur, si arietum instar, qui è medio grege frequenter solo Naturæ ductu subducunt sese alacres & erecti, ad pugnam singularem cęteris exhibendam; Nos quoque vires & impulsus astrorum, Martis, inquam, & Arietis, vehementissimos, animis obsequentibus amplexi, è mediis vrbibus atque compitis proripiamur interdum arietandi caussa, siue coniscandi, vt ita dicam, & Monomachiæ committendæ studio inflammati? præsertim cùm sub eo planeta, vt iam significaui, vitam degamus, cui hoc vnum à Natura ingenitum est, vt queat, non dico externos & alienos, verùm, quod est mirandum,

Ptolom. l. 2. c. 3. & 8.

——*Vnanimos armare in prælia fratres*;

7. aneid.

Nec inter peregrinos & hospites modò serere discordias, verùm & *odiis versare domos*, vt loquitur Andinus Vates, & propinquis ac tribulibus ad mutuam exercitationẽ arma suppeditare? Has ob res Gallorum antiquissimi, qui augurandi, & cœlorum mysteria cognoscendi studio præter cæteros valuerunt, quique per Druidas viros in obscuritate rerum, & recondita in arte, & multiplici subtilique versatissimos, Mauortem, sidus præclarissimum, peculiari aspectu Gallorum mentes incitare, mouere didicerant, eius simulachrum ante alia venerati sunt: ipsum & Dictęo Ioui, & Phariæ Isidi, & Cereri Eleusiniæ, & Cybe-

Iustin. l. 24. & Pli. hist. l. 30. c. 1. in fine.

Cæsar. l. 6. c. 4. & sequ. de bello Gallico.

læ Dindimenæ (quam tamen vt multorum Deorum matrem semiuiri sui corporis supplicio coluerunt) & Æsculapio bene barbato, & Apollini semper adolescenti, & Neptuno glaucis oculis, & Mineruæ cæsiis, & bubulis Iunoni, & Mercurio pedibus alatis, & Pani vngulatis, & Saturno compeditis, & Iano frõtes duas gestanti, & Dianæ venatrici succinctę, & Ephesię mammis multis ac vberibus extructæ, & Triuiæ trinis capitibus & multis manibus horrificę, & Erigonæ de laqueo suspensæ, & Castoribus alternis, vt viuant, morientibus, & ne longiùs multos Deos Deásque obeam, toti Numinum priscorum colluuiei Martem anteposuerunt: Marti ædes augustissimas per totam Galliam dicauerunt, Marti aras & delubra posuerunt, Marti puluinaria consecrarunt, Marti encomia & epinicia cecinerunt, Marti pepla aureis & argenteis distincta clauis induerunt, Marti, vt sponsæ cuidam, calanticas, mitras, tęnias, anademata, crocuphantia, vestes colorias, versicolorias (ignoscite autem, AVD. si desultoris in modum ex deficiente & anhelante in luxuriantem equum subinde transultantis, à Cicerone ad Plautum (cuius ego ingenium semper dilexi, dictionem aliquando non probaui) inopiâ verborum me tantillum conuerto) vestes, inquam, plumatiles, ferrugineas, cerinas, luteas, violaceas, crocotulas, impluuiatas: item & pallas, tunicas, regillas, stolas, ricinia, & alia id genus ornamenta, in quibus percensendis &

Plin. l. 35. c. 12. in fine, & Al. Neapolit. l. 3. c. 12.

Cæsar. suprà. Plutarc in Cæs. An. Flor. lib. 2. cap. 4.

explicandis laborant Taciti, Cæſares, & Priſ-ſciani, cupidiſsimè intexuerunt: Marti veſti-mentis tam multis, tam variis, tot emptis vi-giliis,& laboribus,mutabilem propè dixerim, Chamæleontis, aut Hyænæ, aut Polypi, aut Tarandæ, aut Stellionis naturam affinxerunt: Marti;hoſtibus deuictis,aurum interceptum, annulos,margaritas, petitos ab Indico rubró-que mari lapides, anathemata denique ditiſsi-ma,venuſtiſsima,obtulerũt.vultis omnia pau-cis comprehendam,quod fert

Prodigioſam horum Animal. naturam vide apud. Plin. l.6.c. 29. & Pier.Valer.Hierogly.l.27.c. 16.22.24.

——*Indus ebur,Chaldæus amomum,*
Aſſyrius gemmas,Ser vellera,thura Sabæus,
Attis mel,Phœnix palmas,Lacedæmon oliuum,
Arma Chalybs, frumenta Lybes, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaïa myrrham,
Pontum Caſtorea, blattam Tyrus,æra Corinthus,

Sidon. Apollin. Carm.5.

ea omnia in quouis Martis Gallicani ſimula-chro affatim,atque ad prodigium vſque con-ſpiciebantur. Habetis vnum admirabilis ma-iorum veſtrorum in Martem Duellorum pręſidem venerationis teſtimonium, quod ma-gnum vobis nõ ſine cauſſa videri animaduer-to:Sed erigite animos,auréſque veſtras atten-dite ad ea,quæ conſequuntur:hunc quaſi gra-dum quẽdam,atque aditum ad cætera factum, intelligetis. Non erant neſcij Galli veteres, Nationum alias, vt Iudæam, ab Aequinoctio initium Anni feciſſe:alias,vt Græciam, à Sol-ſticio:alias, vt Aegyptum,ab Autumno:alias, vt Acha

Exodi ca. 12. Alex.gen. dier.l 3.ca. 24. Thucyd. l.8.

vt Achaiam, ab ortu Virgiliarum: alias, vt Italiam (idque post Romulum discerptum) ab eo tempore, quo post hybernum Solsticium Sol, quo vlteriùs progrediatur, non habens, decurso cœlestium signorum orbe, versis vestigiis recidiuus, per singulas eiusdem stationes, ceu prescripta diuersoria, quasi à calce ad carceres celeri meatu ad nos incipit reuerti. Tamen nihilominùs Patres sapientissimi, cùm maximos à sidere Martis iactus atque vires in Galliam demitti, non coniectura, sed Principiis Mathematicis, hoc est, certissimis, exploploratissimis vnà omnes assequerentur, sui Anni primordium à mense, cui Martis astrum nomen fecit, ex Bardorum, siue Druidarum consilio atque intelligentia duxerunt. Quid porrò est tam religiosum, quàm singulis annis primo quoque die huius mẽsis, Principes Gallicanos omnes, atque Magistratus, & clarissimos signorum militarium Duces atque Tribunos cum numerosissimis ex Galliarum delectu equitatus ac peditatus cateruis, vnum in locum, qui campus Martius dicebatur, cõcurrere, inibi de rebus ad annuam Reipub. moderationem spectantibus deliberationes habere: cum quibusdam populis inducias & fœdera sancire: bellum inimicis Nationibus indicere: liberorum ac mulierum temperantiam (ne obesa pinguedine (& quãtùm à Gordiis dissidẽtes! apud quos solis præpingui corporis vastitudine insignibus Regium diadema conferri solet) in Martis obsequio inconcin-

Macrob l. 1 Satur c. 13. in princip. Plut. plobl. c 18.

Plin. l. 16. ca. vltimo ad finem.

Greg. Turon l. 2. ca. 27. Thoroma. l. 6. Chro.

Idẽ Greg. Tur. l. 2 c. 29. Lex Salica tit. 26. Thorom. l. 6. Chro. Ioan. Boëmus Auban. l. 2. de mor. leg. & ritib. omnium gen.

Zenodotus in prouerb. νόμος ϗ χώρα. Iuſtin. l. 23 Strab. l.4. Legis Salicæ tit. 62.

ni fierent ac inepti) coram Magiſtratibus ad Zonæ menſuram examinare: Numeroſas ſeligere colonias ex abundanti hominum Martiorum ſiue bellicoſiſſimorum multitudine, quos terræ, quæ genuerant, non caperent : & iis ipſis propoſita in eiuſmodi conſiliis fortitudine, nouas ſedes quærendas ferro ac virtute bellica imperare? Galli hæc, hæc Maiores noſtri accuratiſſimè obſeruarunt. Quid tam religioſum eſt, quàm humanis victimis Deo-

Dion. Halic l. 1. Solin. cap 24. Lactant. l.1 cap 21. Cæſar l.6. belli Gall.

rum aras & templa cumulare, infantéſque à parentibus immolari, blãditiis & oſculo comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia mactaretur? His ſacrificiis Martem veteres Galli venerati ſunt. (Immanem hanc & barbaram cõſuetudinem in hominibus huius æui, qui diſcuſsâ caligine de noctis profundo in lucem ſapientiæ & veritatis emerſerunt, tanquam Orci cõſilia deteſtor, in opaciſſimis Veterum tenebris tantam religionem ſolo Gallicano potiſſimùm illuxiſſe, vt Marti, quo nomen in cœlo potẽtius nec viderãt, nec dominari poſſe à ſuis Sacerdotibus acceperant, quouis modo litare non recuſarent, vituperare certè non poſſum.) Quid denique tam religioſum eſt,

Cæſar l. 9. Plutar. vbi de ſuperſt. & in Cæſ.

quàm, rebus feliciter geſtis, ſpolia & exuuias hoſtibus detractas ad puluinaria Martis auguſtiſſima proiicere, & ex armis auro argentóque cælatis, ex galeis, frameis, haſtilibus, ſcutis, thoracibus, ocreis, loricis, peltis, geſtis, pharetris, ſariſsis, calcibus, phialis, coronis, præda, vno verbo, & manubiis hoſtilibus, pre-

tiosissima quæque seligere, & in perpetua huius diuinitatis monimenta conferre? Galli hæc Martis cultores religiosissimi sedulò quondam peregerunt. Cuius fauorem ac beneuolentiã vt vel infantium puerorum incunabulis conciliarent, eos (priùs amne frigidissimo immersos, vt inde, num ad munia belli sustinenda, iussáque Martis fortiter obeunda futuri essent idonei, appareret) nono die à natalibus ipsi Deo Marti supplicibus animis dedicabãt. Ita illos Numini Duellorum auctori consecratos, nisi cùm adoleuissent, vt onus militiæ sustinere posse viderentur; & Immortalitatis animarum facti essent, præ cæteris Nationibus, in schola Druidarum assertores acerrimi (nempè vt ad pugnam conuolarent alacriùs) palam ad se venire non patiebantur: sed illos exephebis nondum egressos in publico, in conspectu patrum assistere maximo credebãt esse dehonestamento. Longum esset commẽtarios veteres ac tabulas publicas euoluere, vt inde flos, robur, & splendor veterum Galliarum, Mauortij, Marcelli, Martiani, Mammerci, Martij, Marcellini, Marcuardi, Marculphi, Martiales proferantur, quibus omnibus antiquissimis nobilissimísque familiis id cognominis honoris caussa inditum fuit, sicut & firmissimis totius regni propugnaculis ac munitissimis vrbibus dum erigebantur; itémque Tribunis militaribus, qui Mareschalli; & gentium terrarúmque domitoribus, qui Marchiones; & Regibus fortissimis, qui & Mar-

S. Greg. Tur. l. l. c. 29. Lex Sali. cat. 26. Galienus, περὶ ὑγιείας. Cæsar 6. de bello Gall.

Plutarch. in Marcello. Festus. Hist. Posidon. 5.

comerci, & Marcomilæ, & Martelli cognomine dicti sunt, à Marte scilicet, cuius in terra bellantis virtutes referre, in cœlo dominãtis iactum & suasiones tacitas libẽter, quoad illorum fieri potuit, excipere, Martísque sacraria victimis frequentibus, etiam cruore humano, vt antè dixi, aspergere conabantur. Dies iam me deficiet, si quæ afferri in eã sententiam possunt, coner enumerare. Sed hoc tandem maneat in caussa, IVD. Duella & Monomachias Cœlorum ac siderum instinctu (quem à rerum omnium effectore ac molitore Deo frustrà illis orbibus stellatis ingenitum nemo sapiens vnquã asseruit) quàm maximè inniti. Quod cùm præclarè intelligerent, physicáque & constanti ratione, vt sublimia quæque Naturæ miracula, Galli maiores, Martis planetam (superstitiosè quidem, verùm id non disputo) omni cultu, veneratione, ac reuerentia, vt modò dicebam, sunt prosecuti. Non enim dubito, quin erratum nostrorum Duellatorum, si quod illud sit, tolerabile & humanitùs excipiendum arbitremini, si memineritis, quod obliuisci non potestis, eos his in oris ad Monomachiam frequẽtandam, cœlo duce & auspice, præeuntibúsque veterum patrũ scitis ac moribus, fuisse inuitatos. Nam preterquam quòd nemo, nisi demẽs & fatuus, *Cœlos dicere falsos* vnquã cogitauit: *Nec illa Deo*, si eodẽ nutu res humanas moderetur, *vertisse licet quæ nexa suis currunt caussis*, tamen vetus cõsuetudo prisciquе mores sũt eiusmodi, sicut e-

Virg. 1. Georg.
S[illegible]. in Oedip. act. 5. in choro.

loquétissimus Duellorũ propugnator, singulari verborũ, sententiarũ atque similitudinum instructu paulò antè demõstrauit, vt lõga ætate non infringãtur, sed augeãtur: quippe antiquitas illis tantũ sanctitatis atque roboris tribuere consueuit, quantũ astruxerit vetustatis.

——Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco: *Horat. 3. carm. ode 5.*

Neque segnities & timiditas in earum gentium animis vnquam acquiescent, in quibus per longam annorum seriem fortitudo & magnanimitas altè radices egerint & propagarint. Firmaret contentione non deteriori phisophorum Homerus, si adesset, veritatem hanc, diceretque: Ὅτι οἱ βαφεῖς ὁμοίως ἐπειδὰν βουληθῶσι βάψαι ἔρια ὥστ' εἶναι ἁλουργὰ, πρῶτον μὲν ἐκλέγονται ἐκ τοσούτων χρωμάτων μίαν φύσιν τὴν τῶν λευκῶν: ἔπειτα προπαρασκευάζουσιν οὐκ ὀλίγῃ παρασκευῇ θεραπεύσαντες, ὅπως δέξωνται ὅτι μάλιστα τὸ ἄνθος, καὶ οὕτω δὴ βάπτουσι. Καὶ ὃ μὲν ἂν τούτῳ τῷ τρόπῳ βαφῇ, δευσοποιὸν γίγνεται τὸ βαφέν. Καὶ ἡ πλύσις οὔτ' ἄνευ ῥυμμάτων, οὔτε μετὰ ῥυμμάτων δύναται αὐτῶν τὸ ἄνθος ἀφαιρεῖσθαι *Plato 4. de Repub.* Enimuerò maiorum institutis non contingit quod statuis ac imaginibus, quæ cùm nouis coloribus ac recenti penicillo depictæ maximè intuentium animos in sui conuertant admirationem; vbi consenuerint, circumcircà à tineis & blattis erosæ iacent, & contemnuntur. Sed quod religionibus & sepulchris, quæ fiunt sanctiora vetustate: aut *Cic. 9. Ph.* quod ingentibus fluuiis, qui suo aucti & tumefacti progressu, eò maioribus & capa-

cioribus currũt alueis, quò ab ortu fontibúſque ſuis longiùs abierunt. Vt qui Monomachiam in Francia tam penitùs inſitam, tot ſeculorum ætatibus inueteratam, ex Francorum animis cupiat ſtirpitùs euellere; is & Martem è cœlo eruere, & aſtris affectiones detrahere, & amiſſũ colorem lanæ reſtituere, & Maiorum fidei authoritatem, ac ſepulchris ſanctitatem derogare, & perennium ſiſtere fluuiorum curſus conari videatur. Accedit quòd ex naturalibus cauſſis ſtudia & affectus naſcuntur interdùm, quos excindi prorsùs, vt is ipſe populus, qui ad eos propenſus fuerit, à tantis affectibus auocetur aut deterreatur, non eſt id poſitum in humanis viribus, non in naturalibus remediis, non in ſuppliciorum grauitate. Eludant licet, eludant, quibus fortè ac temerè, vel etiam ipſorum mortalium arbitratu humana negotia volui agíque perſuaſum eſt: equidem æternâ conſtitutione crediderim, nexúque cauſſarum latentium, & multò antè deſtinatarum, ſuum quemque ordinem, ſuos mores, ſuum viuendi genus immutabili lege percurrere. Ludet operam, & vitio mentis laborare videbitur, qui Naturam vſque recurrentem vel furcâ expellere, diſturbare volet: Sed Podalirij & Machaones, rei medicæ, dico, peritiſſimi teſtantur, Francos omnes ſanguine multo redundantes ac ſuperfluentes in vſuram lucis aduentare: Vnde cùm imis viſceribus natiuus calor æſtúſque vehementiſſimi neceſſariò concitentur; quid eſt quod illis

Cic l. de Fato.

Q. Curt. l. 5. in Alex.

Cæl. Rhodig. lectio. antiqu. l. 16. c. 15. in Princip.

succenseamus, si maiorum documentis, siderum iactu, Naturæ rerum parenti nunquam non obtemperantes præ cæteris mortalibus bellis seu Duellis gaudent frequentibus: si nullus eis ludus videtur esse iucundior, quàm armorum tractatio, quàm cum aduersariis congressus, quàm trucidatio inimicorum: si, vt mihi suggerit Ælianus, efferunt in cœlum Martis sectatores, acroamatisque, & musico concentu (de Gallis prioribus loquor) ad sepulturam corpora illorum dant, qui hostibus suis intermortui fortiter in certamine occubuêrunt: si vnguentis summa suauitate conditis affluentes, & coronis aurum vndique vomentibus ad inuidiam astrorum illuminati pugnas ingrediuntur: si trophæa bellis affectis & perfectis, non ex ligno carioso, vt veteres Græci, otij potiùs, quàm bellorum sitientes; sed ex marmore & saxis firmioribus in memoriam sui erigunt sempiternam: si ne diem quidem per mollitiem agentes, auidissimè, supraquam cuiquam credibile est, honoris ergô feriunt hostem, præsidia lacessunt, humi requiescunt, hyemem & æstatem iuxtà patiuntur: si nihil metuêtes, nisi turpem fugam, corruentia fulmineis balistarum militarium ictibus propugnacula non relinquunt: si Gallicanis in castris *merentem vulnus non habuisse grande probrum est,* ——— *recisaque contis*

Gloria fœdati splendet iactantior oris:

si pudenda vulnera, hoc est, aduersa, ϰ̀ μετὰ νῶτα, vt Græci loquuntur, omnémque turpitu-

Vitruu. l. 6. c. 1.

Æl. de var. hist. l. 12.

Diod. Sicul. in ora. Nicolai.

Amm. Marcell. l. 15. c. 26.

Sidon. Apollin. Carm. 23.

Claudia. 2. de bello Getico.

Epigram. Græc. l. 3.

dinis ac imbelliæ notam exosi, ne ardentibus quidem domorum culminibus excedũt, ita ut potiùs incendio ignique circumueniantur: si eorum plerique tempestates & procellas in mediis Ponti fluctibus sibi putant esse subeũdas: si maritimos impetus gladiis districtis hastísque euibratis animosè repellunt: si denique alacres & erecti supra omne mortalium genus Monomachiam incredibili studio concupiscunt? Iam verò in contrariam partem hæc, quod fieri profectò non potest, si de maiorum spatio curriculóque deflectere cogantur ac declinare pro accusatoris arbitratu; frustrà hoc elogio, *Virtus exercitus Gallicani*, aurea Constantini magni numismata insignita fuerunt: frustrà Galli sagittarij, frustrà Salij equites, frustrà Francorum legiones omnia quondam sui nominis fama compleuêrunt, & mucronum splendore illustrarunt: frustrà olim ad armorum Gallicorum strepitum in Italia tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi oportere mos fuit. Frustrà Quiritium gẽs alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certandum sibi esse arbitrata est: Frustrà

Num. vetus. Const. Magn. Notitia Imper.

Salust. in Iug. ad finem.

> *Vos quoque qui fortes animas, bellóque peremptas*
> *Laudibus in longum Vates demittitis æuum,*
> *Plurima securi fudistis carmina Bardi*:

Lucan. 3. l. belli pharsal.

Frustrà vos ipsi egregiam vestris Popularibus fortitudinem estis gratulati, quòd illi *Murci* cognomen infame prorsùs, ac imbellis animi argumentum esse rati, post se longo interual-

Pier. Valer. l. 3. ca. 11.
Amm. Marcell. l. 15. c. 29.

lo

lo, honore, & gloriâ militari Pop. Romanum reliquerint, qui octingentos per annos secundo fortunæ flatu subnixus licèt vbique per orbem terrarum latè arma circumtulerit, tamen eos educasse fertur tantâ ignauiâ & timiditate ciues concretos, vt illi, sacramenti detrectandi caussâ, vel summo Reip. discrimine, sibi & liberis suis pollices amputare, præcidere non dubitarint: Frustra Maiores primis temporibus virtute & armis, & pugnis præsertim singularibus ornatissimum, præclarissimum *Galli* nomē sibi suísque posteris imposuerūt. Namque hîc rideo cōsultò somniātes nescio quos Etymologistas, qui nullas gētes cum nostris hominibus candore & niueis lineamentis conferendas esse stultè arbitrati, Nostros parentes à lacteo colore & insigni albedine, quam Græci γάλα vocant, Galli nomen consecutos esse, fallaciter & malitiosè tradiderunt. Facessant & illi, qui verbum, quo de agimus, aut exectorum hominum mollitiem: aut insanorum & amentium (à Gallo flumine crediderim, quod in Sangarium decurrens mortales dicitur infatuare) audacissimam temeritatem: aut populum, Idiomate Germano, verè *gai-lui*, hoc est, placidum, & suauem, & gentes reliquas in amorem sui allicientem, denotare olim sustinuêrunt. Dicam quod magis miremini, sed cum viris de Christiana sanctitate benemeritis dicam, Populos huic, sub quo versamur, quasi cingulo cœlesti suppositos, eam ob rē Gallos appellari, quòd

Sueton. in August. c. 14.

Ortell. & Magin. in Gall. tabular. exposit.

Baptista Pius.

Ouid. & Fest.

Gorop. l. 2. Gallicor.

V. D. Hierony. l. 2. commentar. ad Gala. ex Lactant.

eius animantis ingenium, affectus, & naturam referunt admirabiliter, quæ solo cantu, aut purpureo cristæ colore pauorem incutit leonibus: Quæ pugnâ cum aduersario infeliciter pugnatâ, lucem reliquarum nõ sustinet, sed sibi suæ conscia imbecillitatis, latebras & obscura dumeta petit: quæ denuũ Ἄρεος νεοττὸς, νεοττὸς δεσπότης, vt ait Comicus, nihil nisi de Duello cogitans amplissimum in cæteras imperium hoc vno certamine didicit à Natura sibi comparare.

D. Ambros. Hexam.6 ca.4. Plin.l.10. c.21. Aristophan. in Fabula, qua ὄρνιθες inscribitur.

Quamobrem, vt aliquando colligam me, sententiámque complectar, Quòd, Iudex æquissime, verba fecisti de Duello generatim, eóque nominatim, quo Viros quatuor nobilissimos hodiè vnà decertasse constat, de ea re Senatusconsultum ita faciendum censeo.

Cvm ex Orationibus & argumentis eorum, qui præsentem quæstionem expendêrunt, luce clariùs appareat Duellis plenam esse Naturam vniuersam, Duello, annuente rerum moderatore ac temperatore, Vates antiquitatis sanctissimos olim depugnasse: Nationes locis disiunctissimas, esse Duellorum vsu maximè concordes: Reges Franciæ potentissimos, Reginas serenissimas, augustissimos Principes, Cœnobiarchas, Episcopos, Antistites galero puniceo conspicuos, summos Pontifices, maximos Imperat., Senatus amplissimos, Legislatores consultissimos, sanctiones decretáque Maiorum in vnam Duellorum coire & conspirare approbationem: Duella

tores nullo ſupplicio, nullis minis ac terroribus, nullo cruciatu ex Francia vnquã potuiſſe exterminari, *Nec captos potuiſſe capi*; aſtra, quorum iactu peculiari terra hæc fouetur, inſpiratur, Naturámque Francis omnibus ingenitam, vnicuique noſtrum ad Duella facere animos procliuiores; Senatui placere, bellatoribus, qui recente Monomachiâ oppetiuerunt, ius ſepulturæ atque ſuprema munera patrio more concedi: aliis duobus, qui è tanto diſcrimine Dei beneficio euolarunt, ſingularis facinoris impunitatem eſſe quidem & condonationem: Videri tamen eoſdem omnes, quia Magiſtratuum iniuſſu, & momento leuiſſimo pugnam iſtiuſmodi pugnauerunt, mediâ ſuorum bonorum parte mulctandos. Atque vti poſthac Duellorum ſiue Monomachiæ vſus (modò haud temerè, nec ſine conceſſu Regis ſuſcipiatur) nemini denegetur, aut interdicatur.

7. an. Melch. Breden. Adag. 42.

SECVNDI CONSILIARII SENTENTIA.

GRAVITER equidem, & iniquo animo Orationem tuam exciperem, Assessor disertissime, si te arbitrarer, quæ dixeris, odio publicæ concordiæ magis, aut ex animi sententia; quàm eloquentiæ ac eruditionis ostentandæ studio pronunciasse. Sed cùm ego tuum animi ingenium, propter singulare mentis meæ de tua moderatione, iustitiâ, & virtute iudicium criminosè insectari non audeam, leuiùs tecum agere mihi animus est, si te priùs vnum illud admonuero, primùm vt de re momenti grauioris sententiam rogatus, ea ne iacias tuę opinionis fundamenta, quibus vel ieiunâ responsione concussis atque disiectis, tota concidat disputatio tua & labefactetur necesse sit: deinde vt coram hoc Iudicum lectissimorum cœtu (humanitate quorum & beneuolentiâ confidens paulò liberiùs te principio huius orationis meæ contra vulgarem dicendi morem alloquor) & frequenti hominum prudentissimorum corona qualis es, talem te esse patefacias: vt quantum ab inscientiæ tenebris, & hominum in furore obfirmata dementia remotus es, tantùm te à verborum libertate seiungas. Ita enim eueniet, vt neque homines natura sua præcipites

in omne facinus tua confirmati sentẽtia prorumpant, neque in orationis mentísque tuæ coniunctione aliquod oriri linguæ cordísque discidium deprehendatur. Alioqui frustrà nos vnà in Lyceis academicis toties intelleximus, Ægyptios sacerdotes sapientiæ gloria quondam florentissimos, vt sculptis more suo quibusdam notis atque simulachris, non literis, coniungendam esse vim Orationis ac Iustitiæ præciperent, vtramque vna oculi figura, hoc est, indiuidua coniunctione, atque indissolubili circulo sapienter effinxisse. Frustrà istos celeres in agendo motus, istam præclaram dicendi exercitationem, non exiguam veterum monimentorum intelligentiam ac perceptionem (assentationis seu arrogantiæ præfatus Numina læua dixerim) maximo Dei beneficio sumus consecuti, si Pericleam prudentiam exosi, antequam loquamur accuratissimè non perspexerimus, ne quid eorum, quæ dicturi sumus, æquitati, religioni, & saluti publicæ aduersetur. In præsenti autem Quæstione etsi eam omnium mortaliũ, qui ad hoc iudicium conuenerunt, exspectationem, eam cupiditatem esse videam, vt acria & seuera iudicia fiãt, eósque huic caussæ Iudices præesse intelligam, quibus venusta & polita oratione adblandiri, fictísque dictionum simulachris fucum facere velle dementiæ singularis est, tamen tuum illud ingenium atque admirabile dicendi genus, quo magnum in modum delectatus sum, non potui omnino non timere.

V. Pierium Valerian. Hieroglyph. lib. 33. epist. nuncup. & ca. 1. Vide & Passer. in prolegomen. ad top. Cic.

Plut. in eius vita. Suidas & Sabell. l 5. enn. 3.

Min. Felix in Octau. Quid ita? quia plerumque pro dicentis viribus & eloquentiæ potestate, etiam exploratæ veritatis conditio mutatur: quia consentientem omnium opinionem parua nonnunquam immutat aura diserti concionatoris. Neque in Ægæo mari, quod aiunt, sub Arcturi occasum tot ex improuiso concitantur fluctus, quot in iudiciis forensibus motus oboriuntur: Non Euripus aut Syrtes tam sunt instabiles, quàm *Pro Murena.* incertæ frequentésque commutationes voluntatum. Id euenire perspicuum est audientium imbecillitate, qui dum verborum oblectamento & lenociniis à rerum intentionibus auocantur, sine delectu assentiūtur blandis asseuerationibus, nec à veris imitantia fidem confessæ probationis seiungunt, nescientes inesse & in paradoxis veritatem, & in probabili vanitatem. Dicam paulò ampliùs. Neque enim iam reformido, ne quis hoc me magis inuidiosè, quàm liberè dixisse arbitretur. Cùm animaduerterem, I V. D. audiri à vobis benignè admodùm ac intelligenter, primò acerrimum Duellorum patronum, tùm Senatorem politissimum, quorum vterque Monomachiam, quoad illorum fuit, confirmauit, altè sanè commouebar, non de præsenti solùm actione, sed de toto genere Duellorum. Nam etsi magna ex parte ingenio illorum, & dicendi genere inusitato teneri vos cognoscerem, tamen verebar interdum, ne illę subtiliter & ingeniosè ad flectendos Iudicum integerrimorum animos inductæ orationes quosdam

eorum,qui adſunt, minùs prouidos ſenſim ac leniter ad periculoſam facilitatem ſeu lenitudinem inclinarent. Sed iſtarum partium culpa ſit illius,qui Minyarum ſtupiditatem infra poſitus, ac Vlyſſeæ prudentiæ inanis, ad hos fallaces Sirenarum cantus; ad has imitantes humanum ſermoné mantichoras & hyænas; ad hũc paſtorum coram ceruis numeroſè modulantium concentum aures non prouidas accommodabit: laus oratorum, qui argumento tam leui ac odioſo, & conſpiranti ac penè conflato omnium conſenſu iam damnato tam egregios colores affingere nouerũt. De Quæſtione porrò examinanda ſic inter vos diſceptare debetis, vt non ſolùm quid afferatur ab oratoribus, ſed etiam quid afferri conueniat, animis veſtris conſideretis. Quod autem ad me ſpectat, poſſem equidem euagari latiſſimè, tantúmque in cauſsâ optimâ dicendo conſequi, quantum alij in peſſima & iniquiſſima potuerunt. Sed quoniam ab eloquentiſſimo viro, quem Duellatorum ſcelera detegentem audiuiſtis, cauſſa hæc fœliciter eſt perorata: nihílque ab eo prætermiſſum, quod pro ſalute publica conquerendum fuit, aut contra Monomachiam diſputandum; ad ea tantummodò reſpondebo, quæ ab eruditiſſimis viris in contrariam partem enarrata, hominum minùs conſultorum animos à veritate perſpicienda poſſent retardare. Ac prima pars illa fuit, quæ neminem commouere debet, Contentiones & diſſidia in rerum vniuer-

Orph. in Argonau. Ho. Odyſſ. μ. Plin. l. 8. c. 30. Pier. Valeri. Hieroglyp. lib. 7. c. 1.

ſitate plerumque deprehẽdi. Quamuis enim certum illud ſit & exploratum, tamen quid inde ſequatur in præſenti controuerſia non video, niſi hominum genus mentis atque rationis capax, ſtipitis cuiuſdam aut belluarum inſtar, vitam agere oportere per ſummam fatuitatem atque ignorãtiam aſſeueremus. Neque verò illud me commouet, quòd quidam partim imprudentiâ, partim neceſſitate impulſi orbis terræ principes ac Imperatores Duella celebraſſe & commendaſſe dicuntur. Nam quemadmodum Iuſtitiæ quicquid placuerit, aut Principi Iuſtitiæ cultori, quin pro lege ſit, non repugno; ſic nullam legis ne vmbram quidem habere ſuſtineo, ſi quid Rex aut Princeps imperet, quod æquitati, fidei ac religioni non conſentaneum videatur. Itaque licèt ipſe Romulus Imperator & rector, vt populum ſuum facinore præcelleret, Tatio Remóque vitam eripuerit, tamen Parricidas, aut

Ex Plutar. Sab. en. 2. l. 2. Iuuen. ſat. 6. Ex Nicol. περὶ ἐθῶν. Stoba. ca. 42. Strab. l. 3. & Curt. l. 6.

iu culeum cum feris naturâ ſecum diſcordantibus inſuẽdos eſſe, in Italia ſi deliquerint; aut, Perſæ ſi fuerint, natos ſuppoſitos, ϗ ὑποβλήτους nuncupandos; aut, ex Luſitanorum, & Macedonum inſtitutis, ſolo patrio exterminatos, ſaxis & lapidibus obruendos; aut, in Ægypto, ſi Parentum cruore manus ſceleratas inquinarint, per ſingula membra pungentibus aculeis primùm impetẽdos, mox in minutiſſimas diſcerptos particulas, incenſo ſpinarum rogo comburendos nunquam non inclamabo. Licèt pleráſque de matrimonio mulierculas ſine

ſine more rapuerit, violarit, illuſerit, idem Romanorum Parens, nullam tamen alienis virginibus iam deſponſatis, iam deſtinatis, vim inferri poſſe abſque flagitio, iudicabo. Licèt triſtiſſimus mortalium Nero exectum marem, velatum flammeo, præcedente facula & tibicine, vxoris loco domum duxerit, tamē è cinædo repentè matremfamilias exiſtere poſſe non arbitrabor. Licèt Caligula, fax & Phaethon orbis terræ, beſtiáque veriùs quàm homo, equum ſuum in toga candida centurias ambire Romanas, prenſare vngulis, & obuio cuique adhinnire voluerit: necnon ſibi fulgentem plenámque Lunam aſſiduè in amplexus inuitarit: tamen neque conſulares faſces quadrupedi dicam concedendos, neque ſtellarum nuptias ab vllo ſapiente ambiendas. Licèt Veſpaſianus auaritiâ & diritate iuxtà infamis, vectigal à miſeris meretricibus exegerit, & ijs ipſis, qui de die veſicam (adſit honos auribus) exonerarent in amphoras, quæ per angiportus erant collocatæ: Licèt alter neſcio quis pro aëre, quem ſpirando trahimus, tributum inſtituerit: & Nicephorus è capnico ſeu fumo, ſicut & alij ex vmbra quarundam arborum, pecunias erogari iuſſerit, tamen hæc inſtituta non habenda pro Legibus, ſed ſibilis & pedum ſtrepitu explodenda ſemper autumabo. Nempe quēadmodùm recta, honeſta, iuſta, quamuis abſit prin ipis voluntas, Legis naturam non deponun , ſic & accedente Principis arbitra-

T. L. l. 1. Diony. Al.

Paul. Diacon. Hiſt. miſcella l. 8. c. 4 Sueton in Ner. c. 28. Ide Suet. in Calig. c. 55. 12.

Euagrius l. 3. c. 30. Zoſimus l. 2 id aſſerit de Conſtant. Mich. Paphlago apud Cedr. Zonaras in Nicephoro. Plin l. 12. cap. 1.

tu, praua, turpia, iniqua vim Legis minimè nanciſcuntur. Proſpicio quid contrà referat Duellator, ſe nullum facinus eſſe adortum, quod Populis, & nationibus integris, & ſapientiſſimis Legiſlatoribus quoque non placuerit. Bene habet, iſthuc ibam. Alterum enim eſt eorum, quæ mihi riſu & exploſione magis, quàm accuratâ ratiocinatione confutanda propoſui. Neque enim operoſum fuit intelligere hîc defenſionem communis furoris eſſe furentium multitudinem, maleſanóſque, & vanæ & perditæ mentis in iſta deſipere, & ipſam errantium turbam mutua ſibi patrocinia præſtare. Quo quid irreligioſius, quid audacius, quid miſeratione dignius fingi aut excogitari poteſt? Exempli gratiâ: Platoni Philoſophorum eloquentiſſimo, & iuriſperitiſſimo, placuit in conſtituendo optimo Reipub. ſtatu vxores eſſe communes, neque patri filium notum eſſe, neque filio patrem oportere. Quæro an diſruptis matrimoniorum vinculis deinceps Venus promiſcuè ſit ſpargenda; liberíque paſſim ſerendi? Ridiculum ſanè. At Chryſippus, & Zeno, & Diogenes, magni quondam Philoſophi, has nugas olim comprobarunt. Placuit Lycurgo (nam traditum memoriæ eſt) legum & iuris conſultiſſimo ad acuenda ciuium ſuorum ingenia ius & vſum eſſe furandi. Quæro an idcirco furta impunè, ſi Dijs placet, in Franciam ſint inducenda, idque eam ob rem, quòd (nemo enim eſt tam improbus, ſit Duellator

l. 5. de Rep.

Laert. in Chryſ. & Zen on. & Diog.

A. Gell. l. 11. c. vltimo, Plut. in Lycur.

licèt, qui ſuis ſceleribus defenſionem aut excuſationem prætendere ac prætexere non conſueuerit) & furandi ſolertia, & aſſuetudo allicit obfirmátque animos adoleſcentium & ad inſidiarum actus, & ad vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem? Satis ſupérque, & affatim prorſùs, lacunam iſtam commoſſe videor: iam ad Prouincias & Nationes integras feſtino, in quibus, vt obijciũt aduerſarij, quoniam Monomachiæ olim frequentatæ ſunt, Gallia tot veterum exemplis ac præiudicijs confirmata iure merito Duellatori cuique ſingularis certaminis veniam & condonationem recuſare non poteſt. Itane vero? Apud Perſas & Lesbios ius eſt liberis miſceri cum matribus: Ægyptijs & Epirotis, Atheníſque, cum ſororibus legitima connubia fuere: Inceſta flagitia comprobabimus? Licet apud Indos, Æthiopes, & Maſſagetas in adulterijs deprehendi: Virginale decus & Maritalem fidem abiurabimus? Apud veteres Ægyptios (quod hominum genus conſtat & in artibus inueniendis ſagaces fuiſſe, & in cognitione rerum indaganda ſolertes) furta omnia fuiſſe licita & impunita, ſicut & Lacedæmone commendata proditum eſt: Prædonum, Spartacorum, latronum fœdiſſimam naturam induemus? Mos eſt Brachmanis, & Iberis defũctos Parentes & conſanguineos, vulturibus: Hyrcanis ſola immanitate nobilitatis, canibus obijcere: Maſſagetis verò eoſdem ſenio confe-

Strab. l. 5. ad fine, & Catullus in Gelliũ. Ariſtoph. interpres in Veſpis. Diodor. l. 1. Iuſt. l. 28 in princ. Arnob. l. 8. contra gẽt. Strab. l. 15. Pomp. Mela l. 1. c. 8. Herod. l. 1. ad finem. A. Gel. No. Att. l. 11. c. 18. Sil. Italic. l. 13. D. Hieron. in Iouiniã. c. 2. & Cic. 1. Tuſcul.

ctos in frusta cædere, & in abdomen suum, tanquam in debitam sepulturam includere. hos ritus placet æmulati? Sexcenta id genus commemorarem, nisi à tam tetris & horribilibus refugeret ac reformidaret oratio: quibus si aut Legis nomẽ imposueris, aut excusationem aliquam obieceris, quia multis Nationibus placuerunt, vel ipsi fletum moueas Democrito, & Timoni, quamuis μισανθρώπῳ, humanæ sortis commiserationem. ita indignum erit iustum illud & honestum arbitrari, quod à priscis mortalibus olim vsurpatum est, & hodie plerisque in terris vsurpatur. Sed eminùs velitati propiùs nunc congrediamur, manúmque conseramus, & ad illa quæ me magis aliquantò excitarunt, respondeamus. Longa fuit Gallicanæ consuetudinis & Ceremoniarum disputatio, quas in Duellis celebrandis à nostris maioribus diligenter obseruatas esse docuit Monomachiæ vigilantissimus propugnator. Verùm & hæc nec obijcere difficile est, & facile confutare. Namque ita se res habet. Galli veteres cæci adhuc, & veræ fidei (de Christianis nondum loquor) prorsùs insolẽtes, cum alijs Nationibus iusta & æqua vt plurimum ignorarunt, probitatis lineas & religiosæ moderationis facilè transilierunt. Itaque si Mercurio cùm humanas tùm inhumanas victimas cecîderunt: si Martis & Veneris adulterium collaudarunt: & in Ganymedem Iouis stuprum cælo consecrarunt: si Deæ Phrygiæ sacra pe-

Tertull. cõtra Marcionem & Euseb l. 1. de præp. euang. c. 3.

V. Auth. citatos orat. super. præterea Pomponiũ Melã de situ orbis l. 3. c. 2.

racturi eunuchos se priùs fecerunt: si fana certorum Numinum semel anno adierunt, sanguine suo eorum aras funestarunt, & vulneribus suis supplicarunt: si Martis planetam trophæis, delubris, homicidijs, Monomachijs honestarunt; si denique ridenda quàm multa, multa etiam miseranda aut fecerunt, aut crediderunt; ea sint argumenta cæcitatis & tenebrarum, in quibus iacentes, vitam miserrimè vixerunt, simúlque cruciatuum & suppliciorum, quibus hodie cum alijs nationibus barbaris in eam, quam nulla temporum metitur circumscriptio, puniuntur æternitatem. Nos autem, quibus aliorum periculis cautè progredi, naufragijs, Scyllas & Syrtes euitare; duris cruciatibus, de summo rerum architecto bene mereri concessum est, stultis veterum superstitionibus succensere, eorum calamitatibus illacrymari, & facinoribus turpissimis stomachari oportet: sustinere, cũ sapientibus, honestissimum esse Maiorum vestigia sequi, si modò recto itinere præcesserunt: vocéque simul & animo confiteri cum Oecumenicis Conciliis & Ecclesiasticis Doctoribus, non Socratem modò, sed & sapientem quemque, Christianum præsertim, à natura deprauata ad bonam frugem se recipere posse, astrorúmque iactui & viribus omnino dominari. Nemo enim, vt arbitror, his temporibus adeo brutus est ac mentis inops, vt Martem in cœlo venerari queat alium ab eo, qui idem omnium Deus omnia cœlestia ter-

Martia. Capella. l. 6 vbi de Narbon. Gallia.
Cic pro Fonteio.
Plin. l. 11. c. 49. &c.

Plin. Nep. epist. l. 8. ep. 8.

Cic. de Fato & Ælian.
Ptolomaus in Centiloquio.
Vir. sapiens dominabitur astris.

renaque, & quæ extra istam orbis prouinciã sunt, fouens & gubernans, humanam formam olim assumpsit, corporatúsque & carne tectus, vt crudeles Monomachias & dissidiorum omne genus ex orbe terrarum deijceret, singulare certamen inijt in Iudæa, vbi omnibus integumentis nudatus domesticorum perfidiam, amicorum inconstantiam, lictorum sæuitiam, tortorum furorem ac rabiem, iudicum iniquitatem, mortem denique & crucem incredibili tolerantiâ & ęquanimitate perpessus est. Vicit ille, Duello vicit non ad confirmandam Monomachiam, sed ad impetus Duellatorum retardandos, eorúmque ardores sui sanguinis alluuione restinguendos. Falleris, Vlpiane, & ignorantiâ laberis, qui Martis planetam ob iactus in Franciam vehementissimos peculiari cognomine *Gallicanum* appellari voluisti. Hic hic concordissimo omnium Christianorum assensu Mars Gallicus, seu potiùs Christianus & Mundanus appellandus est, qui Cælorum motus, astrorúmque vim regit ac temperat; qui verè creditur *ire per omnes terrásque tractusque maris cœlúmque profundum*, vnde homines pecudésque, vnde imber & ignes, & quicquid aliud rerum creatarum. Quòd si quæ suppetunt, omnia percensere mihi esset animus, haud equidem prætermitterem, quod, nisi mea me fallit opinio, asseuerationi atque fidei aduersariorum nonnihil derogare posset, Gallorum priscos Musis cum pace &

S. Mat. c. 16. Ioan c. 18. & Vetus interpres S. Paul. Parabolatus est vitam &c.

Titul. qui hæredes instituti possint.

4. Georg.

V. Præsidẽt Fauchet in antiquit. Franciæ. l. 1. c. 4.

otio cognatione arctissimâ coniunctis, minùs grauatè sæpenumerò, quàm Marti dissidiorum & homicidiorum parenti auscultasse: adeo vt si bella inter eos (quod plerumque factum esse non diffiteor) oborirentur grauia & aspera, quum ictibus & clamore omnia iam circumstreperent, quum hostilis gladij cuspides passim iugulis exciperentur, ac vndique armorum fulgor præstringeret oculos; si quando Bardi & Eubages, & Semnothei Celtarum Theosophi, sæuientibus, cruorémque alteris alterorum anhelantibus interuenirent, tantùm abest, vt quod de Tyrtæo poeta memoriæ proditum habemus, pro sua virili parte exercitus inflammarét, quinetiam mulierum Sabinarum instar, ex transuerso inuecti inter vtramque aciem medij, suaui ac delicato suarum testudinum concẽtu, simúlque ad lyræ fides blandis pulsas digitis suos versus, suas odas, & carmina modulatè concinentes, tantâ simul aures animósque bellatorum, queis pax & literæ magis quàm arma cordi erant, voluptate complebant, vt iam lituorum sonitu, & tubarum clangore nemo circumstantium armatorum moueretur. Nimirũ vt maior lux minorem, ita minoris voluptatis sensum, quo in bello gerendo illos interdum cumulari contingebat, perceptio maioris, qua vel sola pacis & mutui consensus auditione sibi refici ac confirmari videbantur, statim extinguebat. Satis iam ostendimus Duellatorum rationes ab

Plato. 1. de leg. in principio. & Pausan. in Mess. Aur. Victor. l. de viris illustr. Rom. cap. 2.

antiquarum gentium, & veterum Gallorum consuetudine repetitas, astrorúmque viribus, & ipsa rerum natura innixas leues esse, ac nullius omnino momenti. Ergo hæc remoueantur, vt ad id quod est robur ac firmamentum totius defensionis, aliquando veniamus. Animaduerti enim IVD. omnem aduersariorum concionem in duas distributam esse partes, quarum altera, quæ, vt modò dicebã, consuetudine inueterata Nationum barbararum, scitis Legislatorũ, & nugatoriis eiusmodi commentis niti ac confidere videbatur, per me iam dissoluta est: altera restat, quæ est de Regibus Galliarum, qui plerosque siue in bello aduersus hostes, siue in pace ad priuatas dissensiones componendas Duello decertare voluerunt. Scio & cerimonias Ecclesiasticas, & authoritatem Virorum grauissimorum, & summorum Pontificum à Duellatoribus esse interpositam: quæ omnia mihi certũ est sine vlla confusione, aut viuis & spirantibus argumentis refellere, aut conuincere falsitatis: vt cuique testatum fiat & apertum, nihil me infuscare dicendo voluisse, nec tacendo deuitare. Primùm igitur illa erunt veluti fundamenta totius Orationis meæ, quæ iuris Ecclesiastici Doctores summa voluntatum, studiorum, & sententiarum consensione mihi suppeditarunt. Ratio triplex est ineundi Monomachiam absque peccato lethali: Si quod, vt fit, oriatur dissidiũ inter duos Reges aut Toparchas,

Caieta. 2.2. qu.95. ar.8. Nauarrus in Man.c 11. n.39 & c. 15.n.9.

parchas, quorum alter bellatorum multitudine, & armis altero sibi videatur inferior, potest tota disceptatio proposito Duello terminari. Deinde si quis in iudicio testium corruptorum confessione videat sibi certum capitis aut mēbri alicuius periculum imminere, nisi ad Duellum confugiat, potest sibi, suæ cōscius innocentiæ atque integritatis, illud oblatum non aspernari. Postremò Duella non displicent, (inquiunt Viri à me suprà laudati) quando vtriusque exercitus consensu mittitur bellum in compendium, duobúsque, quatuor, aut decem plùs minùs ex vtraque parte selectis victoriæ fata committuntur. Qui Reges igitur, aut Magistratus his caussis impulsi Duella & Monomachias quondam instituêrunt, (quorum innumerabilem fuisse numerum & in Francia, & in Iudæa, & in Europa, & in orbe terrarum vniuerso inficias ire non possum, eos aduersùs æquitatem & iustitiam fateor nihil esse molitos. Vnde autem, aut quibus ex locis prodire furias istas intelligam, qua ex semente factum dicam, vt tot nostro seculo perditissimi gladiatores, flagitiosissimi Satanæ ministri, sicas & mucrones proterdo, vt Comicus ait, iracundo animo, indomito, incogitato, illepido, inamabili, sine modo & modestia, sine bono iure atque honore aduersùs Francos, tribules, consanguineos exacuerint, vt (quod probro & dedecori sanctissimi Senatus, Regni, & vrbis factum est) qui impiè quod tentarunt, luctuosissimè

De Valent. ad q. D. Thoma 41. puncto. 1. &c.

Sed audaciâ militari prorsùs Belsarius Aquiuinus Aragonius, Neretin. dux. contendit Duellum posse iniri 15. Rat. initio l. 2. de re milit.

Plautus in Bacchid. act. 4. scena 3.

executi, in ipso facinore & piaculo videantur prope gloriari? Iudices vestram fidem! efficite singulari sapientiâ, & vestris salutaribus sententiis, vt hoc vltimum sit flagitium: cuius comprimendi caussâ huc conuocati sumus; & paucorum hominum perditorum ac desperatorum scelus, sicut iam est, sceleris sit in scelere supplicium seuerissimum: Ne qua vel nomini Senatorio, vel fidei Gallicanæ, vel vlli ordini macula ex tanti criminis támque inueterati horrore inusta relinquatur. Quid igitur? censes æternas ignominiæ labes etiam Veterum Monomachiis esse hodierno die imprimendas? censeo profectò, si neglecta cautione, quam à me triplicem ex mente synodorum & Patrum sanctissimorum assignatam esse suprà intellexistis, per furorem & & immanitatem, per sacrilegium, addo, teterrimum, cum sanctissimis Ecclesiæ cerimoniis ad eas horribiles pugnas, lætum Cacodæmoni spectaculum exhibituri procurrêrunt. Sed quia turpe est cum laruis, vt aiunt, depugnare (quandoquidem, Τοὺς τεθνεῶτας οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ, vt ait Atticorum eloquentissimus, & apud eundem νόμος Σόλωνός ἐστι μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα, μηδ' ἂν ὑπὸ τῶν ἐκείνου τις ἀκούῃ παίδων) quia turpe, inquam, ac indecorum sanctitatem manium violare, καὶ πρὸς ἀπόντας σκιομαχεῖν, pax mihi sit cum mortuis,

Eras. Ch. 1. cent. 2. pr 53. Demosth. de coron. in fine. id. aduers. Lept. Lucian. in Hermot. siue περὶ αἱρέσεων.

Ossa quieta, precor, tuta requiescite in vrna,
Et sit humus cineri non onerosa suo.

Quamobrem omissis Parentum erroribus ad

Duellorum veterum & recentium contentionem, si placet, delabamur. Quî. n. dubitari poterit, quin nostratum certamina fiant inuitis terra & elementis; cùm antiqua vel patriis legibus & fundamentis firmissimis innitentia, Conciliorum & optimorum Antistitum reprehensionem euitare non potuerint? Illa cum authoritate & permissu Regis tantummodò iniri consueuerant: hæc per summam audaciam & temeritatem inconsulta Regis Maiestate suscipiuntur. Illa statutis ac Legibus Franciæ innitebantur: hæc sanctionibus & Edictis Regum iustissimorum abhorrent. Illa post Senatusconsultum fiebant; hæc reclamantibus Principum Curiarum Arrestis (ita enim loquuntur) Illa præsentibus Rege, Comestabili, Prefectis prouinciarum, Campimagistris, & plurimis (vt Anonymi Floriacensis Monachi verbis vtar) nobilium atque sagacium viris ab alterutra parte aggregatis, magna vndique circumstante populi Gallicani corona: hæc furtim in seclusis & absconditis agrorum secessibus cum astutia plerumque, & præstigiis, sine teste, sine vllo conscio peraguntur. Illa cum tabernaculis in campo siue curriculo certis limitibus ac terminis definito, celebrabãtur, quos vltra citráque bellator nequibat consistere: hæc vbi sua petierit schedulâ, qui alteri Monomachiam indicit. Illa cum aduocatis seu patrinis, monitoribus & campi-magistris: hec cum infidis ministris, calonibus, & pedissequis: Illa cum sacramentis

V. testimonia or. super.

Brollius Gallus.

libr. 4. de mirac. S. B pag. 160.

Aureual. Floriacensis ad l. I. de mir. S. B. c. 25.

solennibus ad primum campi introitum coram sacerdote voce intenta pronunciatis, atque ter iteratis à Duellatoribus, antequam manus consererent: hæc absque ceremoniis, absque fide, absque iureiurando, absque Numinis supremi veneratione, prout immanis quidam furor ac detestabilis scelerum conscientia dimicaturos accendit. Illa vocem Aralli, seu Fecialis, aut præconis publici duntaxat sequebantur: hæc præfractis omnis moderationis ac constantię repagulis fiunt, vtrisque pugilibus, vbi campum attigerunt, in se inuicem per rabiem atque desperationem concitatis. Illa inibant in armis toti bellatores, simul & in equis cum geso & mucrone; hæc lanistæ nostrates pedibus, lorica, atque omni integumento (vix tunicam interiorem excipiunt) depositis, cum ense, aut summùm, cum pugione simul. Illa pro Regis arbitratu, quem chirotheci, seu manicarum, aut baculi proiectione intelligebant, finiebantur: hæc absque honoris iactura, vt aiunt, donec Mirmillonum alter ab aduersario cōfossus iaceat, nunquam dirimuntur. Illa denique anteibant pignora certaminis, accusatio, diei dictio coram Rege, aut selectis Iudicibus; propugnatio, testimonium aduersus eū, qui ad pugnam prouocabatur, accersitum maximi facinoris, mortéque solùm acerbissima expiandi: hæc sine caussa, sine testimonio, sine Iudice, aut arbitris exercentur ad explendas hominum amentissimorum cupiditates. Dubitate nunc,

V. Belisarium toto tractatu de singul. certam.

IVD. si potestis, quid vobis in præsenti actione sit ex iustitię integritate constituendum. Monomachias maiorum vel probatissimis legibus, queis Salij veteres, & Gundebaldus rex nomen fecere, Regum sanctionibus, Longobardorum statutis, quæ Reges Franciæ authores habuerunt, plurimis Senatusconsultis, longo vsu & inueterata consuetudine innixas Pontifices sanctissimi & Concilia, & Patrũ veneranda canities succenturiarũt, condemnarunt, vt pote quæ à religione Christiana, & communi salute discrepare videbantur. Nos autem huius tempestatis Duella nō modò constitutionibus Ecclesiasticis & Regum integerrimorum effatis abhorrentia, sed etiam ab omni vsu & ceremoniis totius antiquitatis aliena perferemus? Testor solium & tribunal communis omnium Iudicis, & religionem, quam profitemur, & Astrææ decus, quod ab omni labe & corruptionis sordibus prohibemus vniuersi; aut faciendam esse omnium omnino flagitiorũ impunitatem, aut Duella nostrorum temporum acerrimis esse castiganda pœnis & cruciatibus. Sed aliter visum est, inquiunt aduersarij, supremo Pontifici Martino IV. qui Petrum Aragoniæ, & Carolum Siciliæ Reges potentissimos Duello voluit decertare. Itane verò? tantum sagacitatis, tantum versutiæ? Quis Palamedes, quis Syphax, quis denique Eurybates, aut Phirynondas talem excogitasset? Omnes isti, quos nominaui, & si qui præterea fuerunt impu-

Salica lex. t. 69. D. Agobard. ad Ludou. Imperat. Alciat. I.C. l. de Mon. c. 4. Carolus Magn. lib. 1. c. 63. Chopin. de Dom. 1. li. titu. 26. paragr. 15. Tom. 2. Concil. Conc. Trid. c. 19. sess. 25. Anast. in Nico.

Supra.

Apul. Apol. 2.

dentia & dolo memorandi, si cum hac vna vestra fallacia contendantur, macci prorsus & buccones videbuntur. Summus Ecclesiæ coryphæus olim Reges & Magnates ad Duellum inuitabat. O mirum commentum! ô subtilitas digna carcere & robore! vt verbis Apuleianis vos irritem atque lacessam. Quis tam stultus, vt hoc sustineat, quis stultior, vt hoc olim à viro omnis pietatis & sapientiæ comitatu circumsepto fieri potuisse credat? Nisi fortè rabulas forenses, & versutiarum proclamatores nescio quos, omnia temerè ad suam opinionem stabiliendam conquirentes, ingenuis, hoc est, Gallicis antiquitatum scriptoribus anteponendos esse concedamus. Verùm age, fac esse certum, quod controuersum manet, summi Pontificis authoritate Duellum olim fuisse confirmatum. Quid aduersariorum caussæ adiumenti, quid nostræ periculi continget, si ex mea superiori distinctione, imo ex Canonum ecclesiasticorum documentis respondeam, ab æquitatis vicinia non aberrasse Pontificem, tametsi Duellum iis concesserit Principibus, quorum alterum, qui caussa superior videbatur, copiarum & facultatum magnitudine inferiorem altero fore constabat? Qui meum hoc responsum quasi leue & temerarium eleuare voluerit, is quęso priùs rem totam, vt facta est, in Gallorum scriptis relegat: vel si Romanis magis gaudet, Enneadas Coccij Sabellici de veritate requirat: iam sciet, Carolum, singulari virtute

Hotom de feudis ca. 45. & Alc. c.3. de sing. cert. Venier in bibliotb. A. 1285.

Nangius in Chron. A.D. 1283. Enn. 9. lib. 7.

& armorum peritia conspicuum, necnon bonitate caussę confidétem, vtpote qui Siciliam sibi perfidiosè ereptam repetebat, Duellum aduersario indixisse. Aragonem tamen toto exercitu alteri pręstitisse, cùm paulo pòst, Gallis in diram fugam coniectis, Principem Salernitanum eius Caroli filium secum in Siciliam captiuum adduxerit; quam statim miseratus captiuitatem, vt impiam & iniquã, Pontifex, Aragonium Regem propter scelera & proditionem à consortio Christiano diffidatum anathemate execratus est. Quid si periniurium esse dicerem, exempli vnius intergressu victoriam caussæ sibi adpromittere, vbi rationes & argumenta suppetunt innumerabilia? Verùm non est cur meram & commentitiam fabulam tanto labore dissoluere coner, cùm certò sciam, his & huiusmodi commentis Dæmones maledicentissimos ad Monomachiæ pestis omnibus mortalibus exitiosæ, propugnationem Gladiatorum desipientium aures refersisse. Historicis enim constans opinio est, & testium locupletissimorum assensu confirmata, quòd Carolus Siciliæ Rex, indictâ sibi ab Aragonię Rege Monomachiâ (quamuis de prouocante non omnes consentiunt) misit Parisios, qui rogarent nepotem suum Philippum, Franciæ moderatorem, vt integram armaturam siue panopliam centum pugilibus Duello dimicaturis necessariam (hoc enim numero ex vtraque parte selecto Duellum celebrari oportere dictum fuerat) sibi Lutetię

Nang. suprà. Chron: Magn. in vita Philippi Audacis.

Parisiorum confici curaret. Huius cõsilij certior factus summus Antistes Romanus, Martinus, inquam, eo nomine IV. vt tantam pestem atque dehonestamentũ Christianis Principibus impendentem auerteret, legatum spectatæ fidei, & singularis eruditionis quamprimùm Carolo Siciliensi legauit, qui documentis, precibus, obtestationibus, Regem intra iustæ moderationis gyrum reuocaret: aut denique, quod extremum in desperatis animæ morbis remedium esse solet, faces ecclesiasticas, & anathema formidolosum minitaretur. Spectate veterem de libris memoriam: commentarios Franciæ fidelissimos omnem in partem studiosissimè enucleate. Iam eos deprehẽderis suis testimoniis certissimis in apertam huius veritatis claritatem coire & conspirare. Itaque his expedita senticetis, & hos prætergressa scopulos facilem iam cursum tenet, portúmque prospectat, in quem mox deferatur, Oratio. Nisi fortè adhærescit illa nauigio Remora; Duellum à Nicolao. I. *legitimum*, à Suggerio Abbate, & Roberto Rege optimo, *Legem* esse appellatum. Ne cunctet, ne tergiuerser, ne incursiones aduersarias, quę frigidissimæ sunt, subterfugere dicar, Monomachiam his nominibus & titulis à viris omni exceptione maioribus fateor insignitam fuisse; Non quòd eam iustam esse, & sanctis legibus consentaneam censerent, (quid enim minùs in hoc facinus conuenit?) sed cùm intelligerent, patrias Leges Salicam & Gombeticam,

Cuius decreti Pontificij certior factus Le Roy Charle (sunt verba Chr. Magn.) bailla sa terre en garde au Prince de Salerne son filz, & au Cõte d'Artois, si s'en vint droit à Rome. Le Pape le blasma moult fermement de celle besongne qu'il auoit entreprise, & les Cardinaulx luy monstrerent qu'il pouuoit bien la chose laisser.

ticam, simúlque inueteratam multorum seculorum consuetudinem quibusuis Duellatoribus impunitatem polliceri; Monomachiam legitimam, hoc est, à Legibus humanis, seu Franciæ statutis non discordantem iure merito nuncuparunt. Iure merito? quidni? Quãdoquidem nostris Iurisconsultis nemo hactenus vitio vertendũ arbitratus est, quòd Tributa ex Vsuris centesimis collata passim, ac liberè *legitima* nũcuparint. Vsuram dici legitimam? eam, inquam, quæ in centum mensibus τὸ ἀρχαῖον, vt loquuntur, id est, sortem adæquare potest, Vsuram *legitimam* appellari? Certè. Quomodo? Quia Diplomata quædam ciuilia, & regiæ constitutiones seu leges eam approbauerunt, & confirmauerunt. Ecquis autem est auaritiâ tam ardenti, tam effrenatâ cupiditate, inhumanitate tam incredibili, támque sceleratâ, vt illud scelus non dicam in Francia, vbi Christiana pietas & mansuetudo semper floruit, sempérque dominata est, sed in vllis terris aut regionibus impunè ferendum sustineat, quod velut pestis & contagio importunissima, vt de Christianis taceam Rebuspublicis, in odia priscorum Quiritium, sub Genutio trib. pl. & Catone, qui Censoris cognomen tulit: Ægyptiorum sub Bocchoride legislatore; Atheniensium sub Solone; Spartanorum sub Lycurgo, & Agide; Indorum, Germanorum, omnium omninò Nationum proximarum, remotarum post hominum memoriam incurrisse fertur? Homicidium qui negat, Vsuram pro-

C. T. l. 2. de Vsur. & Molin. de Vsur. n. c. 88. paragr. de vsur. l. cũ quidem. paragr. de pupillo.

D. Th. 2. 2. qu. 78. Gerson. de contract. prop. 17. T. Liu l. 7. ad finé. idem l. 2. dec. 4. Plutar. in Luc. Dio. Sic biblioth hist. l. 1. p. 50. Plut. in Agid. Ælia. l. 4.

Tac. l. de mor. Ger. bare poteſt, quæ *velox inopes trucidat*, vt ſecundùm Catonem ait Auſonius? Qui Ceraſtem natum ad corruptionem in aurata ſupellectile, eáque lignea non patitur, ſecum feret vſuram, quæ à Theologis Chaldæis עבוליא, Habuliach, id eſt, *corruptio* appellata, homines ære alieno obſtrictos per anatociſmū, cùm id prima pecunia, ſeu ſors non poſſit, corrumpere ac deprauare conſueuit? Qui fugit morſum Serpentis, Vſuram ille ſua in Rep. fouebit, quā Doctores Hebręi, quibus datū eſt nomina rebus ſuis conuenientia imponere, נשך Neſchech, id eſt, *morſum* egregiè nominarunt. Nam quemadmodum Serpens occurrentem viatorem tam leui compungit aculeo,

A radice חבל *in Kal. ſignificat in pignus accepit. Sed ex vſu Chald. Corrupit, Deſtruxit.*

A radice נשך *in Kal. Momordit, & ſæpius de morſu ſerpentum dicitur. Metaph: eſt in Vſuram dare. R. D. Kimbi. Sanct. Pagn: & R. Sad. iis Exod. 22.*

7. aneid.

Vt dum prima lues vdo ſublapſa veneno
Pertentat ſenſus, atque oſsibus implicat ignem,

vulnus inflictum ab eo vix percipiatur: aſt vbi venenū aculei emanauit paulò longiùs, *penitúſque in viſcera lapſum Serpētis furiale malum eſt*, totum homin eminuadit crudeliter ac depopulatur: ſic Fœneratores maligni, tametſi exigua ſecum ferre incommoda primò videantur, vbi tamen poſt aliquot menſes & annos data pecunia increuerit, mirum quàm celeriter totas hominis facultates, quales quales illæ fuerint, minuant ac demoliantur.

3. aneid.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla
Peſtis, & ira Deūm Stygiis ſeſe extulit vndis:
Decolor eſt illis vultus, fœdiſsima ventris
Proluuies, vncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Hos namque verſus libenter vſurpo, quòd illos non tam de Volucribus à rapacitate nomen adeptis ceciniſſe, quàm de Fœneratoribus verè *ἁρπακτικοῖς*, Camœnarum inſtinctu fudiſſe, multis antè ſæculis Maro videtur. Quare, vt eò vnde Vſuram inſectantes per imprudentiam fortè aberrauimus, noſtra ſeſe referat oratio, ſciſcitarer libentiſſimè à Iuriſperitis, quare ſcelus tam impium, tam perniciosum Mortalium ſaluti, tam à iure diuino atque humano alienum, haud cunctanter *legitimum* vocitarunt: Niſi eos crederem viciſſim rogaturos, quare Principes eccleſiæ, maximi nominis atque authoritatis, Duellum, quod populorum omnium cœnum, luem, ac turbamentum eſſe conſtat, *legitimi* ſeu *legis* nomine vſurparunt? Niſi potiùs iam agnoſcerem, & Theologos, & Iuriſperitos eadem méte atque ore reſponſuros, Vſuras & Duella, vt ſuprà ſignificauimus, non quia iuſta & laudabilia vnquã fuerint, ſed quia leges quaſdam in Duellatorum & fœneratorum ſceleribus conniuentes aliquando habuerint, nomen *legitimi* pari vtrumque ratione obtinuiſſe. Sæpe autem, & multum hoc mecum cogitantem, Duellúmne, an Vſura plus calamitatis attulerit hominibus & ciuitatibus, conſideratio ipſa in hanc potiſſimùm opinionem induxit, vt exiſtimem vtrumque ex Orco in has terras quondam erupiſſe: Vſuram, ad inglorium vulgus, & homines omnium inanes facultatum paulatim abſumendos; Duellum, ad

deiicienda repentè florentissimarum ciuitatum propugnacula, ad eos Principes & optimates miserabiliter trucidandos, in quorum salute tota Reipub. salus innititur. Porrò quanto Magnates atque proceres misera & ieiunâ plebecula illustriores, ac publicæ vtilitati fructuosiores habentur, tanto Monomachiam Fœnore turpiorem ac deteriorem esse contendam firmissimè ac asseuerabo. At Deus immortalis, fautor omnium, vt creator vniuersorum, dum horribilia minatur Vsuræ & Duellorum conuictis, mercedem sine dubio vtriusque flagitij oppugnatoribus pollicetur amplissimam. Agitedum, ô sanctissimi IVD. enitamur dum licet, collectis animorum viribus in hanc vnam curam atque solicitudinem per se laudabilem, summo Numini iucundissimam, nostræ Reip. salutarem, fortiter incumbamus. Bonorum omnium & honorum diribitor atque largitor Deus, duas iampridem toti populo Christiano coronas gloriæ proposuit, eásque immortales: alteram pro Vsuræ, alteram pro Monomachiæ portentis è sua ditione viriliter, & omnia experiendo exterminandis. Parentes nostri laudis & gloriæ cœlestis auidissimi in Olympico illo stadio Herculis inferorum terręque domitoris, tanto conatu, tanta felicitate cucurrerunt, vt monstro fœnoris ac Vsuræ confosso, cuspide acerbissimorum iudiciorum, alteram (nec inuideo, Alexandrum præclara Parentis facino-

Exod. 22. *Deuter.* 23. *Math.* 5. *Luc.* 6. *Ezech.* 18. *Prou.* 10. 18. 28. *Iac.* 4. *D. Paul.* 2. *Cor.* 12.

ra iuueniliter ęmulantem auersatus) coronam nobis præripuerint: alteram verò affectu pari, dissimilibus remediis nobis præcerpere voluerunt, nec potuerunt. Quid agimus? Quid expectamus? quin hanc segetem metimus? quin præclarissimos maiorum cōnatus iniuria temporum retardatos ad exitum tandem perducimus? Constantine Magne, tibi congratulor, qui primus omnium Christiani nominis Imperatorum iter ad opus tam difficile, támque laboriosum aperuisti. Viuas æternùm, Carole, sanctimoniâ, & rebus feliciter gestis ter Magne, qui antecessoris tui vestigia beatè assequutus, cùm tota vita, quidquid effutierint Duelli defensores, tum quando ab his terris in cœlum migrabas, liberos & purpuratos tibi carissimos, vt Duellis abhorrerét, admonuisti. Diue Telemache, fruere tuo æuo sempiterno, qui contra Monomachiam fortiter depugnādo, cadere potiùs, quod abiecti atque humiles gladiatores facere possunt nec volunt; quàm reliquam vitam diutiùs per cōtemptum atque ludibrium conseruare maluisti. Philippe Rex, miseret me tui, qui cōsilium hoc affectum, & vt verè dicam, penè confectum, nescio qua fatorum inuidentiâ deserere, & quod erat in manibus deponere coactus fuisti. Sed quoniam præterita mutare non possumus; ô Imperatores, ô Reges, ô Pontifices, ô Viri, quos, in pretium sanguinis pro Christo & iustitia oppignerati,

Aurea nunc solio stellantis regia cæli

Plutar in Alex. & apopht. Reg.

In l. vnica cod. de gladiat. libr. ij.

Testam. Car. M.

Nicephor. l. 13. c. 1.

Edictum 1306.

Virg. 7. aneid.

Accipit, & numerum Diuorum altaribus auget, efficite vestris patrociniis atque aduocationibus, vt quod hac in terra, dum vitam degebatis mortalem, sæuiente Orci procellâ assequi non potuistis, id in alta omnium tempestatum malacia & tranquillitate, qua nunc fruimini, vestra posteritas in præsentia consequatur. Equidem quod ad me spectat, ne quid aliis videar præcipere, quod egò ipse prestare non velim, quantum cura, labore, vigiliis, industria, consilio eniti atque efficere potero, vigilabo, excubabo, vt id hoc tempore Francia obtineat, quod ei vestris temporibus discupiuistis, frustra quidem, sed laudabiliter & gloriosè, & ideò mercedem laborum coronam cœlestem adepti. At

5. aneid. *——Si tanta, Deus, sunt præmia victis,*
Et te lapsorum miseret, quæ digna Senatu
Dona dabis, primam meruit qui laude coronam,

vt iã præsagio atque diuino, dummodò ignauiâ inerti lentóque torpore procul amandatis, in istud crudele atque acerbum Duellorum monstrum seuerè & pugnaciter insurgamus? Duellum Hydra est, (fateor enim quod ab eo, qui ante me dixit, obiectũ reminiscor) nullum vulgaribus remediis hactenus

9. Metam. fab. 1. *De centum numero caput est impune recisum:*
Quin gemino ceruix hærede valentior exit.

3. de off. At si nobis constantia, & ingenium Herculis adfuerit (quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocauit) si, τὴν Ἡράκλειον εὐτολμίαν ἀπομιμούμενοι, vt

eum Philone Iudæo loquar, Monomachiam ex mollibus fomentis acriùs sæuientem, igne, ferro, flammáque tandem lacessamus, dispeream, nisi Lernæam, seu potiùs tartaream hanc Echidnam omnino exciderimus: *Adag. Adriani Iunij. cent. ad 100.*

———Nec proderit Hydræ
Crescere per damnum, gemináque resumere vires. *fab. 3. 9. Metam.*

Antæum fabulantur, quoties humi affligeretur, toties nouis inde recreatum viribus aduersus Alcidem præualuisse: extinctum porro ac enecatum, vbi fraude repertâ, tellurem supra medio in aëre pependit, *Lucan. l. 4. & Stra. l. 17.*

Raptus in excelsum, nec iam spes vlla cadendi,
Nec licuit matrem extrema contingere plantâ. *Stat. l. 6. Theb. in fine.*

Fata superiorum temporum cum nefaria Duellorum consuetudine luctari atque contendere aliquomodo visa sunt, Duellatores bene multos in medio certamine perculerũt, atque lapsu vel mortifero humi afflixerunt; eo tamen euentu, vt sicuti extincta parum fideliter incendia, maiore flammâ reuiuiscunt, ita Monomachia, nemine Duellatorum in aërem seu patibulum excitato, quasi nouis releuata & confirmata viribus resurgere, atque animos nostræ Nobilitatis vehementiùs inuadere spectata fuerit. Quidni expergiscimur? Quidni singularem Alcidæ prudentiam laudamus & imitamur, qui felicissimam de Antæo victoriam illi inuidemus? Ecce fit interdùm, vt innumeri alituum greges omnem tuorum agrorum segetem incursu frequente stirpitùs euellant, ac populentur, cor- *Flor. l. 3. c. 5.*

nicésque proteruæ non minimo sint impedimento, vt qualem sementem feceris, talem & metas. Consulti in hanc rem Agricolæ respondebunt sine dubio, non lolium tantummodò, aut lappas, aut tribulos ex agro extirpandos, nō carduos aut silicem radicitùs euellendam, sed quotquot ex ipsis irretitas tuis pedicis ac illaqueatas deprehenderis, infelici ad terrorem cæteris incutiendum arbori suspendendas. Et gentes Africanæ olim vix, ac ne vix quidem innumeras leonum turbas, & quasi exercitus, suarum vrbium ingressu prohibuissent, nisi quosdam illorum Cruci affigendos esse monuisset Apollo, cæteris certissimo eiusdem discriminis documēto futuros: Rogatus ego de Monomachia sententiam, haud cunctanter asseruerim, Omnes ea furiali mēte afflatos se quamprimùm collecturos, & ad necessariam futuros moderationem, si quosdam ex commilitonibus olim ferocia & rebellione conspicuis, lucis fruitione, suspendio & cruciatu omnis infamiæ ac deformitatis pleno spoliatos perterrefacti suspexerint, eam solùm ob rem, quòd libellos cum syngrapha prouocatorios ediderint. Ferunt Historię, Virgines Milesias impurissimi Dæmonis afflatu incitatas, olim voluntatem cepisse obeūdæ mortis, ac deinde plurimas vitam suspendio sine vlla euidenti caussa terminasse. Id cùm accideret in dies crebriùs, neque animis earum mori perseuerantium medicina quiret adhiberi: Senatum Milesiorum sagacissimæ cuidam

Plin. hist. Nat. l. 8. c. 16.

A. Gell. noctium Att. l. 15. c. 10. & Plutar. de insigni mulier. virtute.

cuidam Matronæ haud temerè auſcultantem, ſciuiſſe vt Virgines,quæ corporibus ſuſpenſis demortuę forent,eę omnes nudæ cum eodem laqueo,quo eſſent præuinctæ,totâ via publicâ per dedecus & infamiam efferrentur. Quo Mileſiorum S. C. nihil ſapientius, aut Reip. conuenientius excogitari potuiſſe, fidem faciente exitu iudicauit poſteritas. Eadem penitùs veſaniâ, & furore indomito, compulſam Francorum Nobilitatem,in veræ gyrum fortitudinis omni cautionum atque obteſtationum varietate hactenus excogitata,reduci nō poſſe cùm apertè videamus,quid ſimilibus incommodis diſſimilia remedia, ſeu alleuamenta contraria inquirimus? Niſi fortè in communi Patriæ, Religionis, Ciuium, noſtri omnium defenſione audiendos eos eſſe velimus, qui magnam rem dicunt eſſe Duellorum vſum abrogare velle, plenámque modò, ne periculi,certè laboris: ex qua plus fortaſſe inuidiæ metuendum, quàm gratiæ ſperandum ſit. Quaſi mihi omnis Oratio hæc ſit cum deſidia, non cum virtute: cum voluptate,non cum dignitate, non cum iis qui ſe religioni, qui ſuæ patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ,non qui ſomno, & conuiuiis, & delectationi, & vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis natos eſſe arbitrentur: qui non intelligant Iudicibus integerrimis ſudandum eſſe pro expellendo communi intertrimento,adeundas inimicitias, experiundos labores,ſubeundas ſæpe pro Rep. tempeſtates:

qui denique exiguam aliquam materiam & malignam ſegetem veræ commendationis, leuem exercitationem æquitatis, fonticulum ſapientiæ Iudices integerrimi, ac non potiùs difficilia quæque, & in procliui poſita exquirant, quibus domitis & ſuperatis, honoris Pyramidem vnà cum mentibus beatiſſimis Conſtantini, Caroli, Ludouici, Telemachi, Henrici, omnium niſi cognomento, ſaltem reipſa Maximorum, quòd nempe de Monomachia triumpharunt, ſibi poni lætentur. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Duellum pro virili oppugnemus, & honoris ædem coronati ingrediemur. Cæterùm, vt aurum ignibus, ſic Aſtrææ decus & ſplendor arguitur difficultatibus:

Lucan. l.6.

Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum;

quod qui fuerit auerſatus, nomen iudicis ac publicę perſonæ abiiciat neceſſe eſt. Indignus enim eſt, qui ſedeat ad puppim gubernator, ſi orta tempeſtate, ſtridore procellarum perterritus, clauum omittit: Miles exautorandus eſt ab Imperatore,

Propert. l.4.el.11.

Quem iuuat è facili lecta corona iugo,

vt ait Vates, qui clangore tubarum, armorúmque ſtrepitu ad fugam capeſſendam inuitatur. Multò minùs ferendi ſunt Iudices, non dicam qui malè ſentiunt, ſed qui ſedent, cunctantur, dormiunt, improborum hominum potentiam, factiones, affinitatem verentur, reclamante iuſtitiâ, & tempore Reip. formidoloſo: Præſertim cùm nihil interſit in quo-

uis Magistratu, vtrùm ipse perniciosis legibus, improbis concionibus, facinoribus turpissimis Rempub. vexet, an alios vexare patiatur. Ita magnum nomen est, magna species, magna dignitas publicæ personæ. Non in toga & pileo esse magistratum putandum est: is honos, mihi credite, vigilare dies ac noctes, & intentis oculis omnes Reipub. partes intueri debet: quæ sanari poterunt, sanare: quæ resecanda erunt, non pati ad perniciem ciuitatis remanare. Quæ cùm ita sint, Viri sapientes, reuocate iam animos vestros à generali nostra disputatione ad vos ipsos, salutémque publicam, quam anteà cum viris fortibus paucis, in hac verò caussa, communibus omnium ceruicibus sustineri videtis. Vobis sacra Iustitiæ delubra, quibus vosmet ipsi cum integritate hactenus præfuistis: vobis magnificentissimus hic diuersarum Gentium concursus: vobis Regia Maiestas, cuius scita intellexistis, Principúmque vox vna omnium: vobis Curia Parisiensis, omnes ordines, omnes societates, omnes, qui aut re, aut spe aliquâ sunt boni: ipse denique immortalis Deus, quem propter beneficia Populus Gallicanus *optimum*, propter vim *maximum* appellat, omne vobis erga legem & æquitatem studium ac iudicium non modò commissum, verum etiam commendatum esse volunt. Petunt abs te, Iudex sapientissime, à vobísque Assessores, vt quàm acerrimè Duella vindicetis, vt quàm fortissimè hominibus crudelissimis re-

Cic. in Pisonem.

ſiſtatis : vt exiſtimetis non futuram eodem loco rem, quo fuit, antequam illa in hoc Senatu auguſtiſſimo examinaretur: & hominem improbum non accuſari tutiùs, quàm abſolui: ſicut beſtia irritata, deinde emiſſa, Vt hoc demùm cogitetis, niſi hac in diſceptatione, qui veſter animus ſit, oſtenderitis, eò prorumpere furioſam ac effrænatam hominum audaciam, & ſcelus, & tyrannidem, vt, neglectis diuinis atque humanis Legibus, non modò clam, verùm etiam hîc, in Curia, ante tribunal tuum, Iudex ſanctiſsime, ante oculos veſtros, Aſſeſſores, inter ipſa ſubſellia Monomachiæ futuræ ſint. Cui malo ſapienter vt occurratur, ego ita cenſeo: Maieſtatis imminutæ reum videri, qui Duellum, aut ſibi oblatum iniuiſſe, aut alteri quacũque de cauſſa indixiſſe deprehenſus fuerit: Eorum autem, quos in hoc iudicium adductos intelligo, duos adhuc vitæ ſuperſtites extremo ſupplicio, ſicut de confeſsis & manifeſtis rerum capitalium, primò puniendos: mox eorum cadauera cum duobus aliis, qui iam occubuerunt, ex legum præſcripto turpiſsimum in modum feris crudelibus exponenda. Cæteri eadem peſte & maculâ conſpurcati, inde coniicient apertè, Magiſtratus eſſe in hac vrbe vigilantes, eſſe integros Iudices, eſſe fortem & conſtantem ſenatum, eſſe arma, eſſe carcerem, eſſe leges iuſtiſsimas & æquiſsimas, quas emendatrices vitiorum, vindices nefariorum ſcelerum maiores eſſe voluerunt.

Porc. Cato apud. Liu. l. 34.

D I X I.

Η τρίτου τοῦ προεδρεύοντος Γνώμη κατὰ τῶν Μονομάχων.

Ἀλήθεια δὴ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις (ὦ ἄνδρες δικασταὶ) ἧς, ὁ γενήσεσθαι μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη, ἵνα ὡς πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν διαβιοῖ· Διὰ τοῦτο προειλόμην ὄντως καὶ μετ' ἀληθείας ποιήσασθαι, μὴ πόρρωθεν τὴν ἀρχὴν τοῦ λόγου τούτου, ἀλλὰ διὰ βραχυτάτων διηγεῖσθαι τις περὶ ζητήματος ἐν τῇ τήμερον ἡμέρᾳ ὑποτιθεμένου λογισμός μοι ἐπέλθοι. Πρὸς τὸν γὰρ ἐξοχώτατον τῶν καθ' ὅλην οἰκουμένην ποιητῶν θαυμαστὸν ἄνδρα, καὶ πάσῃ παιδείᾳ καὶ σοφίᾳ κεκοσμημένον (Ὅμηρον λέγειν ἐγλιχόμην) ὥσπερ ὁ ἀμετροεπὴς καὶ ἀδολέσχων Θερσίτης ἐκ τῶν Ἀχαιῶν προστεθέντων καλλιχόρῳ οὐ μόνον πληγεὶς, ἀλλὰ καὶ καταγελασθεὶς ἀπαλλάττεται:

Πλάτων περὶ Νομοθεσίας, Διαλόγῳ πέμπτῳ.

Ἰλιάδ. β.

Οὔτω καὶ Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε:
Παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Ὅμηρος Ἰλ. γ.

Τοῦτον τρόπον ἐγὼ ἡγούμενος τὴν εἰκαιοσύνην καὶ περιττολογίαν ὑμῖν οὐδέποτε ἀρέσκειν, ἀλλὰ δὲ προσεχῶς τὴν συλλήβδην, καὶ βραχεῖ λόγῳ περὶ παντὸς πράγματος (ὡς οἴοντ' ἐστι) ἀγορευόντων ἀκούειν, περὶ ταύτης δίκης, πολλῶν ὄντων, μικρὰ ἐπιδραμοῦμαι· Ἣν δὲ διὰ τέλους ἀκούσητέ μου προσέχοντες τὸν νοῦν, οἶμαι πάντας ἂν ὑμᾶς καταγνώσεσθαι πολλὴν μανίαν τῶν τοῖς μονομάχοις σπουδῇ ἀμυνόντων. Μηδὲ χαλεπὸν τοῦτ' ἐννοεῖν, ὦ ἄνδρες ἐλλογιμώτατοι. Ὃς ἂν ἐκ προνοίας (κατὰ νόμον λέγω) τε καὶ ἀδίκως ὅντινα τῶν ἐμφυλίων αὐτόχειρ κτείνῃ, οὗτος μὲν τῶν νομίμων εἰργέσθω, μήτε ἱερὰ, μήτε ἀγορὰν, μήτε λιμένας, μήτε ἄλλον κοινὸν ξύλλογον μηδένα μιαί-

Πλάτωνος Νόμων διαλ. θ.

των. Ο δὲ μὴ ἐπεξιὼν, δέον, πρῶτον μὲν τὸ μίασμα εἰς αὐτὸν καὶ τὴν τῶν θεῶν ἔχθραν δέχοιτο, ὡς ἡ τοῦ νόμου ἀρὰ τὴν φήμην περιτρέπεται. Τὸ δὲ δεύτερον, ὑπόδικος τῷ ἐθελοντὶ τιμωρεῖν ὑπὲρ τοῦ τελευτήσαντος γιγνέσθω. Τούτων δὲ οὕτως ὑπαρχόντων, ἄνδρες οἱ παρόντες σοφώτατοι καὶ ἐμπειρότατοι φράγκοις φράγκον ἐκ προαιρέσεως, ἑκουσίως ψυχὴν τολμῆσαι ἀποστερεῖν σώματος, ὀλιγώρως ἔχοντας τῶν παρὰ τοῖς τῶν ἡμῶν βασιλεῦσι δικαιοτάτοις, καὶ τοῖς ἁγιωτάτων ἐπισκόπων ἐν ἐκκλησίᾳ πανηγύρεσι ψηφισμάτων: τὸ δὲ ὅλον, τῶν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις καὶ τῷ θεῷ ἀρίστῳ, μεγίστῳ βεβαιουμένων ἀμελοῦντας βλέπουσι, βλέπειν λέγω; μᾶλλον δὲ, ὑπὲρ τοῦ δικαίου συνηγορεῖν προσποιούμενοι, τῇ ὠμότητι, καὶ ἀδικίᾳ, καὶ κακίστοις μισανθρώποις, εἰσὶ συνειρηκότες. Ἐγὼ δὲ, νὴ τὸν θεὸν, ἀνειμένως καὶ μετὰ παῤῥησίας ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς, ὥστε ὑποσχέσεις μου ἐπιτελεῖν. Δίκη τὰ πάντα χρήσιμος, ἣν πάσῃ θεραπείᾳ θεραπεύομεν, παρθένος εἶναι λέγεται (οὐ μόνον γὰρ πρότερον ἕξομεν ἐπαγγέλλεσθαι περὶ ταύτης ἀληθείας τοῦ Χρυσίππου) κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μὴ δὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν, καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. οἷς ἀκολούθως, καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον, καὶ δεδορκὸς βλέπουσα· ὥστε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος, τοῖς μὲν ὡς παρὰ φίλοις ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις, προσαντοῦς. Νῦν οὐ δι' αἰνιγμάτων, διὰ ἐναργῶς καὶ ἀναμφισβητήτως διαλέξομαι. Ἐλεεῖν μὲν τὸ ἰάσιμον ἔχοντα ἐγχωρεῖ, καὶ ἀνειργοῦντα τὸν θυμὸν πραΰνειν, καὶ μὴ ἀκροχολοῦντα, γυναικείως πικραινόμενον διατελεῖν. τῷ δὲ ἀκράτως καὶ ἀπαραμυθήτως πλημμελεῖ (οἵτινές εἰσι

Χρύσιππος περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς.

Πιέριος Οὐαλεριανὸς βιβλ. λγ. Κεφ. α.

Πλάτων νομῶν διαλ. ε.

πάντες τοῖς μονομαχίας ἔνοχοι) καὶ κακῶς ἐφιέναι δεῖ τὴν ὀργήν· ἴσε γὰρ εἰδότες τοῖς τοιούτοις πᾶσιν, ὡς οὔτε αὐτοῖς ἔτι ζῆν ἄμεινον, τούς τε ἄλλοις ἂν διπλῆ ὠφελοῖεν, ἀπαλλαττόμενοι τοῦ βίου· παράδειγμα μὲν τοῦ μὴ ἀδικεῖν τοῖς ἄλλοις γινόμενοι, ποιοῦντες δὲ ἀνδρῶν κακῶν ἔρημον τὴν πόλιν. Δια ταῦτα μὲν δὴ τῶν πάντων αἰτίως εἰς Μονομαχίαν ἐχόντων περὶ δικάσταις τοῖς εὐφρονοῦσι κόλασιν τῶν ἁμαρτημάτων θάνατον ἀνάγκη τέμνειν· ὥσπερ καὶ βέλτιστον νοῦν ἔχοντες ὑπομένομεν τὰς τῶν ἰατρῶν τομὰς, ἵν᾽ ἐκσώζειν πλειόνων ἀλγηδόνων. Ἐγὼ μὲν οὖν ὡς οἷός τ᾽ ἦν, εἴρηκα περὶ τοῦ πράγματος· ἢν δὲ καταδεέστερον τύχω διαλεχθεὶς, πολλῆς συγγνώμης παρ᾽ ὑμῶν τεύξεσθαι σήμερον ἐλπίζω. Ισοκράτης περὶ εἰρήν.

ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΜΟΝΟΜΑΧΙΑΣ
ἐν κεφαλαίῳ ψόφος.

Εὔχομαι τῷ θεῷ τοῖς τ᾽ ἀκάκοις ἄκακον προσφέροντι πολὺ μείζονα μισθὸν, ἃ καὶ τῇ βασιλείᾳ, καὶ ὑμῖν συμφέρειν μέλλει. ταῦτ᾽ ἐμοὶ συντόμως καὶ τ᾽ ἀληθὲς εἰπεῖν; ἐλθεῖν ἐπὶ νοῦν, καὶ ὑμῖν ἐλέσθαι. Οὓς τῶν συμβούλων τῶν παριόντων τὰ τῆς φύσεως ἐπιτάγματα λανθάνει, καὶ τὰ μεγίστου τῆς οἰκουμένης δικάστου παραγγέλματα, καὶ ἀγνωστάται τῶν συνόδων οἰκουμενικῶν ἐντολαὶ, καὶ ψηφισθέντα τῶν ἐν ταύτῃ τῇ πολιτείᾳ μετὰ πολλῆς δόξης βασιλευσάντων ψηφίσματα, καὶ τὰ τῶν ὑμῶν προγεγενημένων βουλεύματα: οὗτοι πρὸς μάχην τὴν ἐνικὴν εὐκατάφοροι διάγωσι, καὶ τοῖς τοῦτον πόλεμον πολεμοῦσιν ἐπαμύνωσι. Ἡμεῖς οὖν ἅπαντες ταῦτα τὰ νῦν λεχθέντα θεοῦ ξυμπράττοντος φανερῶς συνιέντες, καὶ τὰς τῶν ἀνθρώπων ἢ καὶ τοῦ θεοῦ ἀθανάτου, καὶ ὑπερμεγέθου ἐντάλματα, ἢ παρανομίαν παρανομήσαντες δόξομεν ἐμεσιωτάτην (τοῦτο παρρησιάσασθαι πρὸς ὑμᾶς οὐκ ὀκνῶ) ἢ τὴν μεγίστην σήμερον καὶ ἐσχάτην παρὰ τῶν τῇ Μονομαχίᾳ ὥσπερ τῇ πλημμελείᾳ μεγάλῃ ἐνόχων ληψόμεθα τιμωρίαν. Σίβυλλα κατ᾽ Λακταντ. περὶ ὀργῆς θείας Κεφ. κγ.



IVDEX DE CONSILII sententia pronunciat.



OLLECTIS ac numeratis Iudicũ, qui hac in caussa frequentes adfuerunt, æquissimorum sententiis, ex quibus Monomachiam diuinis ac humanis legibus repugnare, Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus obsistere, Regum Franciæ maximorum, & Henrici IV. edictis aduersari, Parisiensis denique Senatus Arrestis quàmplurimis, & salute publica omninò abhorrere luce clarius apparet, hodierno Senatusconsulto decretũ fuit ac sancitum, Neoptolemum ac Eumenem Monomachiæ conuictos, vitæque superstites publico tortori sine mora permittendos, atque statuta nece sublatos cum Dioxippo ac Othryade, quos eiusdem sceleris constat esse participes, atque in eo peragendo humanis ereptos suppliciis, cruci funestæ extra huius vrbis pomœrium committendos, vt cadaueribus tam impuris cœlũ hoc, sub

ſub quo nati ſumus & educati, non contaminetur, ſed animantes brutæ, quales Hyrcani ſepulchrales dixerunt, ſuam famem alioquin inexplebilem reficere ſedaréque poſſint. In poſterum qui tale facinus publicè aut priuatim, domi vel militiæ, quacumque de cauſſa, inuocato inconſultóque Rege, & Magiſtratibus admiſerit, ſacer ac inteſtabilis eſto, Reipub. hoſtis iudicator, & ſicut de confeſſis ac manifeſtis rerum capitalium, arbori infelici ſuſpenditor,

———Crux iſtum tollat in auras,
Viuentéſque oculos offerat alitibus.

Prudent. περὶ στεφάν.

IVDICIS EIVSDEM AD CONſiliarios & Oratores

χαριστήριον.

D*Electatus veſtro eloquio, maxima veteris memoriæ, rerúmque & verborum dote locupletato; necnon felici noſtrorum conſiliorum exitu recreatus, atque vt afflatus loci ad dicendum ampliſſimi genio, ſic & diuino quodam Aſtrææ ſanctiſſimæ inſtinctu concitatus, continere me non poſſum, quin altiùs paulò vocem efferam, verbáque vberiùs profluere mihi patiar, & iſtud ſiue acroama, ſiue*

τὸ χαριστήριον aut σύγχαρμα coronæ vestræ lineis aliquot concludam.

TAndem aliquando P. C. Monomachiam omnis Reipub. pestem nefariam, legum ac iustitiæ turbamentum, generosæ Nobilitatis funus, Religionis Christianæ dehonestamentum ex hoc regno, quantum meus mihi auguratur animus, eiecistis, exturbauistis. Vsus Duellorum teterrimus luce hodiernâ è nobilium Francorum animis excessit, effugit, auolauit. Nullum iam exitium, ita me Deus audiat, nulla pernicies ab illa Erynni execranda ipsi Galliæ intra Galliam conflabitur. Garamantas extra & Indos; & eas vrbes, quas esse, habitariqne in Luna & Sole, Colophonius cum Luciano somniauit Xenophanes,

Lucianus Ἀληθοῦς. Ἱστρίας λογω. α.

Virg. 1. æn.

——Furor impius intus
Sæua sedēs super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Ratum istuc augurium meum non læua aut imparia tonitrua, vt in Hetruscorum disciplina est, non præpetis inuolatus, nō aquilæ dexter, aut sinister cornicis aduentus, non cantus oscinis, non tripudium solistimum, nec insomniorum visa faciunt: exta pecudum, iecora, & fibras non consului: nec flammę puritatem, nec fauillarum tranquillitatem, nec fumorum spiras aut vertigines in summa pernicissimè auolantes inspexi: nec eum denique omninò sequutus sum, quem exaratus in agro Tarquiniensi Tages inuenisse fertur præsagiendi mo-

V. C. lib. de diuinat.

Amm. Marcell. l. 21. ca. 2. & 3.

dum. Certiora ſunt alia ſigna, quibus hodie conſtituitur fides atque authoritas meæ huius diuinationis & coniecturarum. De me ſiquidem vt non auſim multa polliceri (ne quis ὠδείνοντα Κέπφον, Larum parturientem mihi obiiciat, ſicut eſt populi ſermone tritũ & peruulgatum) ſic dicere non verebor me veſtris in Orationibus plurim[illegible], omnia , propè dixerim , circumſpicere, ex quibus, vbi ſemel coram, in ore atque in conſpectu omnium innotuerint; ſpes affulget, vtinam ne inanis, Monomachiam in populo Gallicano ſtatim intermorituram. Cùm enim Francorum natio præ cæteris imperij Chriſtiani gentibus ſemel ſuſceptam Ieſu Chriſti ſeruatoris religionem conſtantiâ, fide, integritate, immotâ, inconcuſſa, illibatâ, puram ac integram ſemper ſeruauerit: cùm, vt verba D. Gregorij apponam, quanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni veſtri, ô Galli proceres, culmen antecellit: cùm, vt quæ montium Pyrenæorum verticem circumuolitant perdices, hoc ſolo, quòd niues albedine ſuperant, ac præcellunt, à venatoribus deprehenduntur; ſic inter florentiſſimas Nationes, & verè Chriſtiano candore conſpicuas, hoc præſertim ipſo Galli dignoſcuntur, quòd ſincera morum integritate, & verè niueâ religionis ac legum ſanctimoniâ omnibus præluceant: Cùm ditio Gallicana ſit pharetræ inſtar, quam Chriſtus ſibi circa femur accinxit, ex qua ſagittas electas extra-

Lucan. l. 1. Pharſ.

Interpres Ariſtoph. in Comœ. Pacem.

Epiſtola ad Childebertum.

Ita Gregor. IX. de Gallis.

hens ipsas, vt sibi gentes & regna subiiciat, in arcu brachij potentis emittit: Cùm Monarchæ Catholici, præcellentissimi Ecclesiæ filij, inter omnes Christianos Christianissimi, Clodoueus in Alaricum & Visigothos, Childebertus in Almaricum, & hæreseos Arianæ defensores, Dagobertus in hostes fidei Catholicæ pertinacissimos, Carolus Martellus in Frisios & Saracenos, Pipinus in Astulphium & Lōgobardos, innumerus denique cùm recentis memoriæ, tum veteris Magnatum Gallorum numerus, & Franciscus I. & Henricus II. atque IV. & D. Ludouicus, & Philippus Augustus (sentio me ordine perturbato loqui) & Ludouicus Crassus, & Cludouicus Pius, & Carolus Magnus, magni reuera omnes in Christi militia bellatores,

Innocent. 4 Greg. I.

V. Magn. Chron.

Quantum coniferas inter viburna cupressos,
Atque inter pinos corylum frondescere fas est,

Nemesianus simia Vergilij. eclog. I.

tantum illi & Apostolicam sedem iniuriâ tyrannorum oppressam ac iniquitate, in pristinam dignitatem restituendo, multísque ornamentis cumulando, & summorum Pōtificum effata religiosissimè obseruando, & vrbes munitissimas synodis ac Conciliis œcumenicis ritè peragendis lubentissimè permittendo, cæteris aliarum gentium Principibus excelluerint; haùd erit mea opinione verendum, ne orti ab illis maioribus posteri, qui nihil aliud dies noctésque curant ac cogitant, quàm quomodo possint eorū quamsimillimi euadere, & quam laudem atque commendationem ab iis acce-

perint, eandem relinquere pòst futuris nepotibus insigni aliquo accessu cumulatam, ad Monomachiam deinceps suas properent examinare dissensiones, quam tot Pontificum supremorum consultis abhorrentem, tot Conciliorum augustissimorum effatis prohibitam, tot Præsulum sáctissimorum atque apotheosi donatorum suffragiis ac oraculis condemnatam vestris cognoscent Orationibus præclarissimis, quas eam ob rem prælo & typis mandari impensiùs aueo petóque,

Ne turbata volent rapidis ludibria ventis, 6. æneid.

& ex hominum nostrorũ memoria (quod deprecor) post aliquot menses effluant, ac elabantur. Alia porrò sunt omina, eáque clara & explorata, quibus meæ vaticinationis euentus portenditur atque confirmatur. Si enim apud priscos felix auium garritus aut sternutamẽtis, aut tinnitu aurium, aut tripudio pullorum solistimo, aut emissis ab ortu fulminibus, cœlíque circumactu in eandem plagam redeuntibus semel ac iterùm confirmatus, certissimo duceretur esse victoriarum, ac omnis euenti prosperi argumento; quidni ego Astræam exitium Monomachiæ allaturam presentissimum augurer, & generosos quosque Gallos priùs acerbissima morte millies ab hominibus demigraturos, quàm illâ dimicare pugna, cui non modò summorum in Ecclesia Principum, atque Conciliorum sanctissimorum decreta, sed etiam Dei Opt. Max. cuius ditione atque Numine infima, supera, gerun-

tur, mandata: & eorum, qui per mille annos & ampliùs ad imperij Gallicani gubernacula cum laude & gloria sederunt, Edicta: &, ne palmarium omittam, Senatus in hoc regno Principis iterata etiam atque etiam pronunciata scient aduersari. Laudo laudo vos, Oratores clarissimi, qui hæc, quæ dico, distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus & verbis executi estis. Vobis, quanquam grátia referri tanta non potest, quanta debetur, habenda tamen, me iudice, tanta est, sentiendo potiùs, quàm loquendo, vt apud Deum fieri amat, quantam maximam animi nostri capere possunt: quod Reip. perniciosam de Duellis opinionem in Francia seculorum plurium decursu inueteratam, atque longo vsu corroboratam genere dicendi tam sincero, tam solido & exiccato, tot sententiis arguto, tanto splendore & concinnitudine illuminato, feliciter deturbauistis, dissipauistis. Nec verò iis, à quibus Duella gnauiter, quantum potest, & accuratè propugnata sunt, habeo quid succenseam. Illi siquidem, nisi meus me fallit animus, secum optimè arbitrati, fuisse tantam semper in æquitate potentiam, vt licèt in foro nullum patronum aut defensorem obtineat, facilè tamen se contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contrâque fictas omnium insidias per se ipsa defendat atque tueatur: simúlque cum animo suo recésentes Veritatem, quamuis ab hominibus subacti ingenij ac eruditio-

nis depicta fuerit quasi virgo niueis ac simplicibus induta vestimentis, cuius affabrè cælati oculorum orbes siderum lucidorum fulgorem viderentur imitari: eam nihilominùs, vt potè quam ἐν βυθῷ ἀφέγγει positam esse aiebat Democritus, elucere hac in disceptatione nō potuisse satis, ac emanare in vulgus, nisi ex vtraque parte caussarum esset facta contentio; eas Orationes pro Duellis tam copiosè, tam subtiliter, tam ingeniosè construxerunt, ex paradoxis & incredibilibus argumēta tam consimilia, tam insigniter veritatem ipsam adumbrantia eduxerunt, ea tot sententiis, & exemplis, & veterum institutis, & lectionum authoritatibus adornarunt, tot ex generibus concionem aucupati sunt, & flosculos vndique, & lepores, & dicendi suauitates delibarunt, vt quemadmodum mihi aliquādiu, dùm illi perorarent, ad silentium stupefacto, & magnitudine admirationis euanescenti Terentianum illud sæpiùs venit vsurpandum,

Philostratus in Amphiarao, & Hippocrates in quadam epist. ad Philopæmenē. Cic. 1. Academ. quæstion.

Ni nossem caussam, dicerem vera hos loqui: *Terent.*

sic & ij omnes, à quibus benignè attentéque audirentur, ritè intelligerent Duella non idcirco à nobis abrogata, quia nemo repugnauit; imò palam & coram confidenter asserent non esse cunctandum profiteri, sanctissimam & gloriosissimam à partibus illorum stare victoriam oportere, quorum caussa, æquitate, & iustitiâ huic præponderaret. Interim illi, vbi assedêrę, suas conciones ornatissimas iisdem ipsis, quibus armati processerant, ra-

tionum telis retundi (quod antè præsagierant) animaduertentes, veritatémque parti contrariæ non tantummodò facilem esse, sed & fauorabilem agnoscentes, sibi & aduersariis, si quid ex hominum vultu coniicere datum est, gratulari ceperunt, victoriámque quasi mutuam vsurpare, quòd & alij voti cõpotes fierent de Monomachia triumphantes, & ipsi salua æquitate (cui toto animo non velificari scelerati hominis semper esse crediderunt) ac bono iure incolumi, præclarissima suæ vbertatis ac eloquẽtiæ testimonia exhibuissent. Præterea in caussa tam ignobili, & hominum sapientum præiudiciis iampridem condemnata duplicem suorum laborum ac vigiliarũ mercedem assecuti videntur, primùm vt ea literarum monimentis relinquerent, quæ nec satis erant nota omnibus, & erant cognitione dignissima: Deinde vt studio literarum ac eloquentiæ amore inflammarent languentium huius æui adolescentum animos, eósque præsenti causa docerent nihil esse tam horridum, támque incultum, quod non splendescat oratione, & quodammodo excolatur. Ita vulgato priscorum Celtarum ænigmati lucem afferre voluerunt, potuerunt non obscurá, quo, vt omnia benedicentis arbitratu currere, & linguæ λειριοέσσῃ, vt Poëtarum verba vsurpem, καὶ μέλι σταλαούσῃ Ὑμηττίου ἥδιον laureas concedere significarent, Herculem leonino tergore obuolutum, arcum læua, clauam ex ilice dextera gerentem, pharetra ex humero

Hom. Il. α.
Lucianus in Herc. Gallico.

humero pendula insignem, & innumeræ hominum frequentiæ præeuntem; quos omnes (mira res dictu!) auribus vinctos trahebat, catenulis ex auro & electro tenuissimis linguæ suæ extremitate perforata insertis, eósque non inuitos aut reluctantes, sed omnes hilari plausu, concentúque vocum suauissimo laxis etiam vinculis properantes, vbique in Gallia suspiciendum proposuerunt. Mihi enim cogitanti, & in animo meo vigilias & algóres frequentanti, quos pati habuêre, qui ex veterum monimentis Duella toto orbe celebrata studiosè deprompserunt, variásque Gentium religionis, temporum, & locorum ratione dissitarum in hæc sanctiones & effata conquisierunt, offusásque rei tanti ponderis ac momenti caliginem quasi intenso ingenij sui acumine, ac emissis vtrinque argumentationibus discusserunt; solertissimè fecisse videntur, qui summo Eloquentiæ Deo circumiectum leonis exuuium, ceu laborum exantlatorum symbolum; & clauam monstrorum diuersorum, ignauiæ & ignorantiæ domitricem: arcum denique, & iacula, & pharetram, singularia rerum acutissimarum, & vocum, vbi ex ore semel prodierint, πτεροέσσων, καὶ παταγοδρόμων, vt Græci loquũtur, & citissimè per alios ad alios dispersarum hyerogliphica, tribuerunt. Qui verò per multas horas fluenta eruditionis & eloquentiæ manantia ex ore clarissimorum Virorum hodiè animis attentis exceperunt, qui nos omnes auidissimis auribus singulos

Hom. Il. α.
Orph. hymn. in Iouem fulgurat.

syllabarum apices haurientes, neque modò nutu aut silentio, sed & omnibus modis dicentium oratorum conatum fouentes viderunt; statuam Alcidæ Gallicano, & eloquentiâ insigni positam, cathenulis aureis ab ore concionantis eiusdem in apertas audientis numerosæ multitudinis aures ductis, audebunt sugillare? Quoniam autem Ilex, quę coronas iis, qui hosti mortem certissimam minitanti ciuem subtraxerant, vitáque simul deiecerant, apud veteres suppeditabat, eadem & Herculi clauam firmissimam dedisse fertur, quidni ea facultatem dicendi optimè designabimus, quâ veluti claua robustissima, hi Oratores armati Monomachiam Nemeæa fera, aut plurimis anguibus lernæis deteriorem, facésque ad commune incendium quotidie accendentem fortiter iuxtà ac diligenter prostrauerunt, extinxerunt, atque ita tribules suos turpissimæ neci subductos ab illa fera crudelíque pugna, ad humanum cultum ciuilémque moderationem traduxerunt. Qui literis arguta quæque & erudita Poëtarum figmenta consignarunt, Herculi diserto licet, ac multis pręclarè gestis commendato, Nectare & ambrosia vesci, aut immortalitatem participare cùm cęteris Diis semper denegatam esse ferunt, donec Ioue aspirante dormienti Iunoni clàm suppositus lac ab eius vberibus leniter emanans hausisset auidissimè. Quum autem, inquiunt, Regina excitatâ diuini liquoris per cœli pauimentum effusa portio quædam esset, semitam ille an-

A. Gell. l. 5. c. 6. noct. attic.
Pier. Valer. l. 51. ca. 3.
Alciatus ex 4. parergon. iuris cap. 3. & Arati interpres & Cal. Rhod. l. 21. c. 21.

gustam quidem, sed peramœnam & lacteam (Greci γαλαξίαν nuncupant) ac intuentiū deorsum oculos ad se trahentem aperuit. Quæ verò liquoris eiusdem Iunonij guttulæ per cœlestem rimulam fortassis delapsæ terram irrigarunt, lilia eò loci suscitarunt suaueolentia, qui natiuo colore sua præ se primordia declarant. Qui hoc schemate inuoluto sanè, & mihi (cur enim negem?) ante hunc diem non satis intellecto spuriorum sortem adumbratam putét, inchoatam fortasse rei notionem præcipiant, rem certè ipsam, aut eius, quam informauimus animo, intelligentiam non assequatur. Vos etenim Oratores præstantissimi, vestrique similes ænigmate tam apposito notatos esse, ac intelligenter demonstratos censeo auguróque. Nam etsi vos Alcides verè Gallicani, id est, viri singulari eloquentia excellentes, caussas plerasque grauissimas cum dignitate hac in Curia sæpenumerò sustinueritis, licet conuocatos hominum cœtus frequentissimo Senatu, incredibili plausu & acclamatione detinueritis, eósque vbertatis dicendi suauitate obstupefactos quibusdam velut habenis numerosæ Orationis sitis moderati, tamen nihilóminùs ausim asserere vos nequaquam suauissimorum, quibus suam mentes beatissimæ sitim reficiunt inexplebilem, poculorum fieri potuisse participes, nisi Iunoni alta in quiete benigno Iouis interuentu, id est Dei Opt. Max. fauore suppositi fuissetis. Iuno illa mihi Dea est (Consiliarij me-

Alciat. emblem. 138.

Pier. Valer. l. 15. ca. 4. & l. 54. c. 26.

deunte aureorum ſeculorum Vere, benignis vndequaque ad tranquillitatem conſpirantibus Zephyris, rursùm lilij ſui honore, quem vel naturâ duce, cùm extirpatus fuerit, recuperare poteſt, tandem veſtiatur! O felices eos, quorum operâ & labore ſanata Reip. Francicæ vulnera,& inflictæ rebus noſtris per mutuas occiſiones plagæ coaluerunt! Beatos ter quatérque viros, qui ſuauiſſima dicendi vbertate,mentes ſuorum Popularium teterrimis conflictibus deprauatas, velut de integro interpolare, deiectíſque de illorum haùd contra obnitentium dextera virgis ſanguineis, ſcipionibus ex Sileris frutice, à quo inſani homines & iurgioſi abhorrent, confectis eorundem manus armare potuerunt? O diem fauſtum, & niueis notandum lapillis, quo Garnſey, aut Ebuſo, inſulis huic ab Hiſpania, illi à Neuſtria non longè ſemotis, Francorum omnis regio facta ſimilis, ſerpentes linguis triſulcis inimicitiarum, ac ciuilis diſcordiæ virus eiaculantes perimere ac exterminare viſa eſt,etiam deinceps fugatura quos in eam Gerſey aut Ophiuſa,Colubrariæ(quod tamen abominor)aliquando emiſerint! Deus, qui corda populorum tuo arbitratu moderaris: cuius in manu diſſidium & pax, malatia & tempeſtas:da populo Gallicano iſtam mentem,quam tuo ſummo beneficio nos, qui hic adſumus, hodie volentes amplectimur, nunquam,ſi aſpiraueris, poſteà depoſituri. Lilia, queis coronæ haùd vulgares contextæ, con-

Plin.l. 21. c.5.

Id.l.24.c. 10.

Ortell. ad inſul. circa Britan.

Plin.l.3.c. 5.

cinnatæque tua delubra non mediocriter olim honestarunt, ventis ac tempestatibus, nisi tui nominis asserendi caussa conteri, aut vllis sordibus maculari veta. Francis omnibus, ac Nobilitati præsertim hunc animum inspira, vt pudeat vnumquémque Tribules suos non dicam ferro appetere, sed contumeliosè alloqui, aut quoquomodo vulnerare. Eiice, precamur, eiice Aten illam, sceleratam & discordem, quæ πᾶσαι ἐπ' ἀιαν βλάπτουσ' ἀνθρώπους, multas huic solo Gallicano miserias hactenùs summè concinnauit: pro qua deinceps supplices obtestamur, vt Litas, prolem tuam carissimam, nutrices concordiæ, dissidiorum expultrices, καὶ μετόπιαθεν Ἄτης ἀλέγουσι κιούσας, in hanc Remp. tandem emittas. Effice, námque potes, vt posthac Galli omnes non minùs arcto necessitudinis ac beneuolentię vinculo coadunentur, quàm qui Thebis ad Reip. propugnaculum viri amicissimi Ἱερὸν λόχον, sacram cohortem constituebant. Denique te suppliciter oro atque obtestor, imò Gallia tuo cultui addictissima te orat obtestatúrque, vt quemadmodum gratam & acceptam hodiernæ disceptationis conclusionem tibi esse nouimus, ita & eam integram incorruptámque tota seruet, ac tueatur posteritas.

Hom. Il. ι.

Ibid. v. 500.

Cal. Rh. l. 9. c. 22.

D I X I.

Vlyss. Ho. Odyss. Θ. v. 209.

Ἄφρων δὴ κεῖνός γε καὶ οὐτιδανὸς πέλει ἀνήρ,
Ὅστ' αὐτόχθονι ξείνῳ ἔριδα προφέρηται ἀέθλων.

I N D E X.

INDEX RERVM ET VIRORVM ILLVSTRIVM, QVIBVS DE supra mentio facta est.

A

B

C

LI

FINIS.




IHS